
Digitized by Google



MED. 10357
2 – 8 . – A.
N. 13

Digitized by Google

611
H37L

DE

ANATOMES SVBTILIORIS VTILITATE

PRÆSIDE

LAVRENTIO HEISTERO

MED. DOCT. ANAT. PHYSIOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL.
ATQVE H. T. DECANO
PATRONO ATQVE PRAECEPTORE ÆTERNVM
DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS

DISPVTABIT

IOH. CAROLVS HAHN Suidn. Sileſ.

D. IX MART. AN. MDCCXXVIII

HORIS LOCOQVE CONSVETIS.

HELMSTADII
EX OFFICINA PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROOEMIVM INDICAT ANATOMEN NON SOLVM GENERATIM ESSE NECESSARIAM, SED ETIAM SPECIATIM SVBTILIOREM.

I. Paucos esse monetur, qui omnem e Medicina anatomen prorsus reiiciunt.

II. Quorum absona sententia uberius ostenditur.

III. Quidam pietatis in demortuos aut religionis specie anatomen, tanquam *crudele* & *inhumanum* quid, vituperant.

IV. Alii ex ignorantia, pusillanimitate, fastidio aut squaloris metu eam contemnunt: inprimis & ex illis, qui chemiæ & alchemiæ nimis dediti sunt.

V. Iis, qui *crudelitatem* anatomicis obiiciunt, respondetur.

VI. Aliquam quidem anatomen scitu esse necessariam, *subtilem vero inutilem* esse nonnulli obiiciunt.

VII. Quibus generatim respondetur, & primo conceditur, *non omnibus quidem in morbis anatomicam scientiam requiri:* attamen in quamplurimis, indicatur.

VIII. *Inventa nova anatomica*, licet nullus mox usus pateat in Medicina, tamen propterea reiici non debent, quia haud raro usus diu demum post detegitur.

IX. Quod sæpe factum esse exemplis probatur.

X. Anatomes contemtores sæpe ad anatomen confugere coguntur, quando hypotheses suas explicare volunt.

XI. Exemplo *mali hypochondriaci*, *melancholiæ*, *hæmorrhoidum*, aliorumque multorum morborum ex fabrica venæ portæ explicatorum ostenditur.

XII. Deinde *exemplo Christi. Democriti*, qui paroxysmos febrium in peculiari ductus pancreatici & cholidochi in duodenum ingressu explicat: licet anatomen in universum parvi faciat, & contemnat.

XII.

Digitized by Google

XIII. Anatomen non ſolum craſſiorem, ſed & ſubtilem, ſive accuratam, utiliſſimam ac ſumme neceſſariam eſſe bono Medico indicatur.

XIV. Quid ſit *Anatome ſubtilior* deſcribitur, & ubi generatim profit, exponitur.

XV. Speciatim eam in *Phyſiologia* ſeu uſu partium recte intelligendo neceſſariam eſſe, demonſtratur.

XVI. Exemplis ex variis corporis partibus hoc uberius & perſpicue probatur.

XVII. Speciatim in *ſenſuum externorum* intellectu.

XVIII. In *Pathologia* etiam, ſive morbis rite intelligendis, eam multum prodeſſe oſtenditur.

XIX. *Cadaverum morbis, præſertim nondum ſatis cognitis, extinctorum* ſubtiliorem perveſtigationem anatomicam in Medicina utilem eſſe comprobamus.

XX. Itemque in *Praxi medica* aut curatione morborum, ſive officio Medici clinico, anatome ſubtilis prodeſt.

XXI. Etiam in *officio Medici forenſi*, præſertim vulneribus, caſibusque medico-legalibus aliis.

XXII. In quo, ut vulnera lethalia rite explorari queant, ſubtilioribus aut accuratioribus encheiriſibus variis opus eſſe pateſacimus.

XXIII. Maxime vero in *curationibus* atque operationibus, ut vocant, *chirurgicis*, accuratiſſima anatomes ſcientia carere non poſſumus.

XXIV. Quod exemplis ſpecialibus primum evincitur in *oſſium* morbis, variisque in his perficiendis operationibus.

XXV. Deinde etiam in partibus mollibus quamplurimis.

XXVI. Vſus denique ſubtilioris anatomes in Philoſophia, Phyſica ac Theologia naturali maximus indicatur.

DE

DE ANATOMES SVBTILIORIS VTILITATE.

PROOEMIVM.

QVam male rebus ſuis conſulant ſeque ipſos turpiter fallant futuri Medici, qui per compendium intempeſtive quaſi euntes, aut nimium feſtinantes, plerarumque ad Medicinam pertinentium ſcientiarum profundiorem paullo ſive accuratiorem inquiſitionem negligunt, aut omnino ſpernunt, omnibus credo perſpectum eſt, qui, quantum omnino ad nobilem & bonum requiratur Medicum, haud ignorant. Commune hoc fatum ſubire inter alias ſcientias etiam *Phyſicam* atque *Matheſin*, dolebunt ſane ii, qui, quam arcto vinculo hæ artes cum Medicina cohæreant, quantumque lucis ei affundant, recte perſpexerunt. Aegrius tamen multo ferent anatomes in univerſum, & ſigil-

latim etiam ſubtilioris, neglectum, quibus notum eſt, quantum illa ad rationalem, ſolidam ac genuinam Medicinam conferat. Et certe mirandum eſt, dari adhuc hodie homines, qui ſapere volunt, atque inter hos quidem Medicos, imo Medicinæ Profeſſores, aut qui alios Medicinam rationalem docere ſuſcipiunt, qui, quamvis tam clare pateat Anatomicæ ſcientiæ in arte ſalutari præſtantiſſimus uſus, tamen eandem non tantum parvi faciunt, atque ſiniſtre de ea iudicant; verum in totum etiam quandoque contemnunt & reiiciunt, quaſi Medicus nullum prorſus fructum inde capere poſſet, eave haud indigeret; vel vulgaribus Anatomicorum libris Medicinam diſcentes contentos eſſe poſſe docent, quibus temere fidem adhibent, & ad oracula quaſi confugiunt, atque hoc modo iuventutem, iam per ſe utplurimum ad ignaviam pronam, a ſtudio hoc utiliſſimo, quod magiſtri illi ipſi non intelligunt, & a quo iuvenes ob moleſtias ac labores in eo ſuſtinendos iam nimis abhorrere ſolent, avertunt. Melius autem longe, meo quidem iudicio, officii & conſcientiæ ſuæ fatagunt, qui diligenti inſpectione atque diſſectione cadaverum accuratiſſimam, quantum fieri poteſt, ſibi comparant corporis humani aliquando curandi notitiam; ne in errores, ex artis huius utiliſſimæ ignorantia oriundos, qui profecto magni atque innumeri ſunt, incidant; cum revera in Medicina facienda, ſive ut vulgo dicere ſolent, in praxi medica, longe maioris ſit momenti, quam turba imperitorum, nobilem hanc artem ignorantium, cognoſcit aut vulgo perhibet: atque ab illo æyo, quo rationalis

Me-

Medicina exercitata est, a celeberrimis & præstantissimis viris, magni semper fuerit habita, & ob insignem eius cum utilitatem tum necessitatem, *dexter Medicinæ oculus* vocata, sine quo non nisi cæcutire, atque empiricorum more, id est, sine ratione, & summo sæpe ægrotantium totiusque generis humani detrimento ac noxa, Medicina exerceri exhiberique poterit. Rectius igitur cum Cl. SCHACHERO a) sentimus, dum„ ait, neminem Anatomico facile vitio vertere debere, si„ vulgari Anatomiæ scientia, qua nemo practicorum sal-„ va conscientia carere potest, haud contentus, de subtili-„ tatibus seu minutiis, quas vocant, anatomicis paullo„ penitius perscrutandis simul sit sollicitus. Nam quem-„ admodum qui horologia componunt, ne minimam„ quidem rotulam intactam relinquunt, sed eam attente & iudicioſe ponderant considerantque; ita Anato-„ micus, qui exacti universi corporis humani profecto-„ ris (*dico ego & Medici*) titulum tueri cupit, non in iis„ saltem, quæ citra difficultatem magnam in sensus incidunt, acquiescit, sed in minimis quoque discernendis ac penitus cognoscendis studium operamque consumit.„ Hanc tamen subtiliorem corporis humani inquisitionem Anatomicum & Physiologum non tantum unice decere; verum etiam omnibus iis maxime esse necessariam, qui aliis Medicinæ partibus principalibus rite satisfacere bonique Medici evadere volunt, sequentibus ulterius ostendemus, cum de ANATOMES SVBTILIORIS VTILITATE, speciatim in

a) Disp. de Anatomica præcipuarum partium administratione.

curatione morborum, aut praxi medica, ſpeciminis inauguralis gratia, quædam proponere nobis ſit animus. Vbi vero illud præmonendum cenſemus, nos tantum nobis minime arrogare, ut omnia Anatomes ſubtilioris commoda hic recenſere poſſe credamus, cum eorum maximus ſit cumulus: quamobrem nonnulla tantummodo, quæ nobis primo, nunc in mentem venerunt, *Benevolo Lectori* ob oculos ponemus; ex quibus tamen quilibet, qui ſapit, rei anatomicæ & cumprimis minutiarum, ut vulgo vocant, anatomicarum utilitatem, Anatomes vero hoſtium, eiusque contemtorum ac cavillatorum ignorantiam imo ſtultitiam ſatis cognoſcere poterit.

I.

Paucos quidem fore exiſtimo inter eos, qui ſe Medicos rationales profitentur, & ſummis in arte ſalutari honoribus legitime ornati ſunt, (nam de agyrtis aut circumforaneis iam non ſumus ſolliciti) *qui omnem Anatomes ſcientiam prorſus contemnunt*, ac e Medicina reiiciunt; attamen fuiſſe olim e CELSO a) & GALENO diſcimus, imo & hodie adhuc quandoque abſurdos eiusmodi hinc inde dari homines, eorum dicta & ſcripta divulgata teſtantur. Sed, Dii immortales! tanta hoc faciunt dementia, tam vanis, abſonis & futilibus ſæpe argumentis, ut riſum extorqueant ſapientibus, & nulla fere refutatione digni ſint: imo quod refutationis loco aliqua ratione inſervire poteſt, tanquam

a) In Præfatione.

quam forte argumentum, eſt aſſeclarum huius doctrinæ eruditorum defectus; dum pauci vel nulli rationales homines tam abſurda ſibi perſuaderi patiantur, triſtibus ſcilicet exemplis hominum a ſimilibus Anatomes imperitis occiſorum, vel ſaltem eorum culpa atque inſcitia peius redditorum convicti. Nam quot, quæſo, tam ubique in urbibus & pagis, quam præcipue in caſtris & obſidionibus ex Anatomes ignorantia toto die obſervantur a Medicis pariter ac Chirurgis Anatomes ignaris peſſime lædi, vel prorſus interfici? Quot non membrorum uſu eadem de cauſſa privantur, dum ignari tales (qui Medici & Chirurgi nomine, quod gerunt, indigni ſunt) muſculos, tendines, nervos, vaſa, ductus, aliasve partes inconſiderate, temere & ſine neceſſitate diſſecant? Suis oculis vidiſſe Chirurgum quendam teſtatur Excellentiſſimus PRÆSES, qui de magna quidem experientia, & de curatis quam deſperatiſſimis ægris plus quam thraſo quicunque alius gloriabatur, ſed Anatomes magis imperitus quam piſcis, incidendo abſceſſum ſub axilla, arteriam axillarem diſſecuit: quo vulnere æger, cæteroquin ſanus, ob hæmorrhagiam ſubitaneam largiſſimam ſub manibus expiravit. Alium novit Chirurgum, Anatomes, ut vulgo eſſe conſuevit, ignarum, qui plumbeam glandem ex interiori & ſuperiori femoris parte extracturus, vulnus cultro dilataturus arteriam cruralem lædebat, atque oborta mox hæmorrhagia lethali, vulneratum interficiebat: horumque triſtium caſuum tot a ſcriptoribus referuntur exempla, ut plura hic recenſere ſupervacaneum eſſe exiſtimemus.

II.

Vulnera, ossium fracturæ, luxationesque morbi sunt externi, qui manibus plerumque satis tangi, palparique possunt; interim tamen ne eiusmodi quidem morbis quandoque mederi apte poterit Anatomes & subinde etiam subtilioris ignarus. Imo nec ex ipsis Anatomes contemptoribus fore ullum credo, si aliquo modo adhuc sapiat, & qualemcunque adhuc vitæ ac sanitatis suæ curam gerat, qui, si modo dicto ossium morbo corripiatur, aut vulneretur, atque Anatomes probe gnarum Medicum habere possit, sciens lubensque se committet viro Anatomes ignaro; sed peritum desiderabit, ne male curetur aut claudus fiat. Ergo si in externis, quotidianis, ac levioribus quasi eiusmodi malis, nemo prudens facile fidet, seve committet anatomes imperitis, patet, quam absurde illi agant, qui Anatomes scientiam contemnunt. Quare multo minus quis bonum Medicum agere poterit, si partes nobiliores, sive externæ sive internæ, male affectæ sunt, ad quarum cognitionem, naturam & curandi rationem sine accurata notitia situs, connexionis & communicationis partium, earumque sæpe subtiliorum, ut infra ostendemus, pervenire nunquam tuto poterit. Quomodo enim talis, qui in Anatome rudis ac hospes est, scire poterit, utrum pulmones, hepar, lien, an renes, vesica, ventriculus aut alia quædam pars interna patiatur; vel an arteria, vena, nervus, tendo, ligamentum &c. læsum sit in partibus externis, si earum positum, nexum, communicationem, aliaque, quæ ex Anatome discimus, scitu neces-

ceſſaria neſcit? Et ſi hæc ignorat, qua ratione medelam aut remedia morbo ac parti affectæ congrua, applicare aut accommodare poterit? Si materia quædam peccans e parte corporis educenda, quomodo & per quas vias, ſi eas ignorat, eam educet? Profecto cæcorum inſtar palpare neceſſum eſt, qui ſæpius a ſcopo aberrant, adeoque multa damna corporibus ægrotantium inferent, multosque præmaturæ morti tradent. Præter hæc ſimile talibus quid accidit, quod ex medicaſtro quodam, Anatomes imperito, aliquando ſe audiviſſe mihi retulit Excell. PRÆSES, dum referebat, ægro hepar corruptum eſſe, eumque fruſta hepatis ore reieciſſe. (Dem Patienten ſey die Leber verfault / und habe er gantze Stücker durch den Mund (horrendo ſane exemplo) ausgeworffen.) Alium, cum æger ventriculi inflammatione laboraret, dixiſſe: ægrum gangræna cordis laborare. (Der Patient habe den Hertz-Brand.) Adhuc alium empiricum auditus officula cuidam in auris abſceſſu ex aure extraxiſſe, eaque dentium radices eſſe affirmaſſe. Et ſane, ſi in Medicina facienda vel leviter ad Chirurgorum plerorumque noſtrorum aut Medicorum empiricorum ſermones ac relationes attendimus, perſæpe ex ipſis eiusmodi æque abſona & abſurda, quæ Anatomes peritis, etiam vel invitis, riſum extorquent, audimus, ſimul tamen eos ad miſericordiam commovent, miſeramque potiſſimum ægrorum, qui ab eiusmodi idiotis tranctantur, ſortem deplorant, dum tam multi a talibus præmaturæ morti traduntur: &, ſicuti alias Poëta canit:

Enſe

Enſe cadunt multi, ſed plures crapula ſternit; Ira quoque affirmare non dubito, quod plures ab imperitis Medicis, imprimis Anatomes ignaris, quam belli rabie proſternantur, atque interficiantur.

III.

Quæ, cum ita ſe habeant, mirari omnino ſubit, unde fiat, ut nihilominus utiliſſima atque maxime neceſſaria hæc ars tam acriter a multis perſtringatur, aut prorſus reiiciatur? Aſt, intempeſtive pii vel miſericordes ſunt, aut videri volunt, nonnulli Anatomes oſores, qui concedere nolunt, aut nefas eſſe ducunt, ut demortuorum cadavera, quemadmodum dicunt, dilacerentur, eorumve quies, quam homo homini poſt fata concedere deberet, turbetur. Quamobrem cum Cornel. AGRIPPA aliisque eiusmodi ineptis cavillatoribus Anatomicos *carnifices* vocare a) non verentur; ipſam autem artem anatomicam *theatricam carnificinam* dicunt, b) Medicosque crudeli diligentia, atque ſpectaculo horrendo, fœdo, & abominabili, nec minus impio in mortui cadaver graſſari, calumniantur. Beſtiis porro quoque nonnulli patrocinantur, eorumque vivam præcipue diſſectionem æque impiam & crudelem reputant, imo ſævire appellant; cum in ſacro codice Pſalmiſta claris dicat verbis: iuſtum etiam miſereri pecudis ſuæ; (der Gerechte erbarme ſich auch ſeines Viehs) atque hanc ob cauſſam beſtias in uſus medicos ſecare etiam pro piaculo inepte habent, & iuvenes inde dehortantur.

IV. Has

a) De Incertitud. & vanitat. ſcient. c. 82.
b) Ibid. c. 86, & Carl. in *decoro Medici*, cap. *de decoro Anatomico*.

IV.

Has autem tam absonas tamque absurdas, sive obiectiones sive calumnias dicas, Anatomicis ab iis potissimum atque plerumque inferri scimus, qui vel aperte Anatomen, præsertim subtiliorem ignorant, de quibus recte meritoque dici potest, *Ars non habet osorem nisi ignorantem.* a) Vel qui pusillanimes aut timidi nimis sunt, quique vel umbra terrentur, & cadaver ne quidem tangere audent. (Poltrons, die kein courage haben) Vel qui in iuventute nimis ignavi fuerunt, aut voluptatibus dediti, ut requisitam industriam, labores & molestias, quæ in arduo anatomico studio rite addiscendo perferenda ac sustinenda sunt, adhibere noluerint. Vel etiam denique, qui unicæ Medicinæ parti soli se totos addicunt, eiusque amœnitate & amore nimis capti, reliquas partes contemnunt, despiciunt, ac vana stolidave opinione susque deque habent. Quo autem vitio præ cæteris laborare deprehenduntur ii, qui Chemiæ & cumprimis Alchemiæ studio nimium se dant, atque reliquas scientias Medico necessarias, ut sæpe fit, negligunt; aut qui tandem cum Christ. DEMOCRITO, viro miris opinionibus pleno, b) *relicto fœtore* (sunt verba eius) *& squalore defuncti cadaveris, vel* VNICA INSPECTIONE, ut putat, *cogniti, consultius & utilius iudicant manus polluere carbonibus.* Ast excusandi fere videntur hi homines Chemici vel Alchemici: densior

B enim

a) Conf. erudita Cel. FONTANELLII præfatio, Historiæ Acad. Parisinæ An. 1699. præmissa: ubi inter alia ait: *On traite volontiers d'inutile ce qu'on ne fait point* &c.

b) Vid. eius Vitæ animalis morbus & Medicina edit. Lugd. 1711. pag. 61.

enim ac perpetuus carbonum aliarumque noxiarum rerum fumus cerebrum eis obnubilasse, vel oculos ita excaecasse, vel auri etiam conficiendi lapidisve Philosophorum inveniendi arduum desiderium, mentem ita turbasse videtur, ut de nullis quam de his rebus dicere aut iudicare queant, reliquosque eruditos omnes, caeterasque scientias artesque liberales, uti quondam antesignanus eorum, PARACELSVS, elato supercilio contemnant, plenisque buccis cum eo clament: a) Mir nach! ich nit euch nach! ihr mir nach/ mir nach! Avicenna, Galene, Rhasis, Montagnana, Mesue &c. Mir nach/ und nit ich euch nach! ihr von Pariß/ ihr von Mompelier, ihr von Schwaben/ ihr von Meissen/ ihr von Cölu/ ihr von Wien/ und was an der Thonau und Rheinstrom liegt/ ihr Inseln im Meer/ du Dalmatia/ du Sarmatia/ du Athenis/ du Griech/ du Arabs/ du Israeliter/ mir nach/ und ich nit euch nach/ euer wird keiner in hintersten Winckel bleiben/ an den nicht die Hunde seichen werden. Ich wird Monarcha! und mein wird die Monarchey seyn/ und ich führe die Monarchey/ und gürte euch eure Lenden ꝛc. ꝛc. vel ut sensus horum verborum germanicorum mirabilis PARACELSI est: *Vos omnes gentes, vos omnes Medici, me sequimini! ego solus sapiens sum, vos omnes ignari, vestrorumque omnium scientia nihil valet ac nulla est.* Verum ita prudentes doctique Medici ac chemici non ratiocinantur, sed ex omnibus scientiis id, quod in Medicina prodesse & ad eam perficiendam

a) Paracelf. in præfat. in Paragranum.

dam valet, ſeligendum atque amplectendum eſſe cenſent; neque cum *Democrito* illo credunt, quaſi VNICA cadaveris inſpectione, corporis humani fabrica ſatis cognoſci poſſet. Ita & nos non reiicimus Chemiam, neque eam contemnimus, verum potius eam valde amamus, eiusque utilitatem agnoſcimus; ſed propterea Anatomen aliasque Medicinam perficientes ſcientias haud ſpernimus, aut inutiles proclamamus. E contrario cum plerisque ſapientioribus Medicis & Chemicis ex omnibus ſcientiis id, quod ad morbos quoscunque ſanandos, imo rectius curandos, aliquod commodum ſive utilitatem afferre poteſt, eligendum atque coniungendum eſſe arbitramur: præſertim cum ſatis pateat, ſola Chemia, absque aliarum quarundam ſcientiarum concurſu, omnes morbos non curari, & amicum variarum ſcientiarum connubium in Medicina recte facienda requiri, illudque Medicum efficere præſtantiſſimum: quippe qui ex omnibus ſemper id ſeligit, quod in curatione morborum aliquid boni imo optimum præſtare, vel in hoc vel illo morbo ſanando conducere poteſt. Hinc antiquiſſimis temporibus iam cognoverunt, morbos omnes non uno modo curari poſſe: verum quosdam *diæta*, alios *medicamentis* cedere; alios vero *manuum opem* requirere, imo non niſi ferro & igne tolli. Adeoque Chemiam ſcire, reliquas vero partes Medicinæ, atque inprimis Anatomen, haud ignorare, aut reiicere debemus.

V.

Verum quam ſiniſtrum ſit illorum hominum,

(N. III. & IV.) de Anatomicis iudicium, prudentes reliqui iudicent. Ad *crudelitatem* ſane, quam iis obiiciunt, quod attinet, maiorem eſſe atrociam credideri, demortuis, qui ſenſu omni deſtituuntur, intempeſtive admodum parcere, & poſtmodum in curatione vivorum, propter neglectam ſcientiam anatomicam, atque inde ortam craſſam ignorantiam fabricæ corporis humani, miſeros multos ægros atroci morte trucidare. Illis vero, qui manuum tantopere cum Chriſtiano *Democrito* (IV) reformidant *fœtorem* & ſqualorem, ut mortuos tangere nolint, & *unica ſolum cadaveris inſpectione* ſe in intricatiſſima corporis fabrica ſatis ſapientes credunt, certe maiori curæ eſt externa manuum mundities, quam conſcientiæ interna puritas; cum tamen manuum quemvis ſqualorem aqua abluat; conſcientiæ autem ſtigmata, ignorantia, negligentia, aut protervo Anatomes contemtu contracta, altius inhæreant & ægre admodum deleantur. Idem iudicium eſto de *animantium ſive mortuorum ſive vivorum ſalutis humanæ cauſſa inſtituta inciſione*: quæ æque ac mortuorum hominum Anatomica conſideratio, crudelitatis titulum nullo modo meretur; cum nusquam prohibeatur, atque in bonum & laudabilem finem, in ſalutem ſcilicet hominum, eorumque vitam conſervandam, eosque a graviſſimis ſæpe morbis liberandis, inſtituatur. Pythagoricæ forte ſcholæ diſcipulos calumniatores hos eſſe ſuſpicor, qui forte propter metempſychoſin, neſcio qualem, timent, ne demortui forſan agnati, aut amici tam egregie ſapientis animam excrucient. Interim hoc ſaltem dixerim, quod qui locum Divi Regis

ac Prophetæ, pro destruenda animalium incisione ad usus anatomicos & medicos adducunt, eundem etiam pro abolienda bestiarum dissectione in usus œconomicos, sive pro alimentis corpori ipsorum suppeditandis adducere debeant. Prior enim incisio animantium post sanitatem hominum promovendam, etiam piis nostris speculationibus, cognitioni scilicet & admirationi sapientiæ atque omnipotentiæ Divini Numinis, & ita animæ rationali; posterior autem, dissectio œconomica scilicet, alendo tantum aut nimis replendo corpori inservit. Quantum itaque anima corpore præstantior est, tanto etiam incisio animalium, quæ animam nostram recreat, docet & instruit, nobilior, utilior magisque licita erit. Supervacaneum esse reor hic quoque attulisse, anatomica hæcce exercitia etiam iure divino & humano minime esse prohibita; verum Regum Principumque summa autoritate & iussu in plerisque ferme Europæ politioribus regionibus atque provinciis suffulta: ut egregie inter alios demonstravit Cl. Frid. HOFFMANNVS a) & SCHWENDENDERFFERVS JCtus celeberrimus. b) Verum equidem est, nihil de Anatomia nobis consignatum aut præceptum esse in sacro codice; interim ex silentio scripturæ sacræ, cum sectio neque animalium neque hominum in ea prohibita sit, omnino ad licitum eius usum recte concludimus: *Quicquid enim nusquam prohibetur, id licet.*

a) Disputat. de Anatomia publica.
b) Disputat. de Anatomia iure Divino & humano licita. Conf. DOERINGIVS de Medicina lib. II. cap. IV. HEVCHERI Ars magna Anatome. WOLFFIVS de Moralitate Anatomes circa animalia viva.

Digitized by Google

Porro cum Medicina in universum sit licita, atque Servator etiam ipse Medicum his in terris quondam egerit, Sibique Ipsi nomen Medici tribuerit, cum laudato SCHWENDENDERFFERO recte colligimus, Anatomen quoque esse licitam: quia ad gloriam Dei & ad bonum constituendum atque efficiendum Medicum quam plurimum, facit. Quod enim iuris de toto, & quoad totum, idem iuris etiam est de parte ut parte. Illis etiam, qui sectiones animalium in usum medicum admittere nolunt, aut intempestivæ pietatis specie dum nihil probant, pro re illicita reputant, nullæ carnes pro cibo corporeve suo conservando concedi deberent: cum par mihi ratio videatur, ut supra iam diximus, sive animal in usum culinarem sive medicum occidatur.

VI.

Sed talia cum a Medicis nonnullis, Anatomes hostibus, obiiciantur, prævidentes facile, omni Anatomica scientia Medicum, qui rationalis esse cupit, carere prorsus non posse, ut tamen nobilissimæ huic arti maculam quandam inurant; furoris, invidiæ, aut si mavis stultitiæ suæ impetum tandem dirigunt in *Anatomen subtiliorem*, *minutiasque*, ut vocant, *Anatomicas*, utroque tandem fatentur, ne pro amentibus habeantur, aliquam quidem Anatomen, imprimis vero nobiliorum partium scientiam, situm, connexionem, communicationem cum aliis partibus usumque Medico esse necessariam, (qualis, si diis placet, ex DEMOCRITI mente, unica inspectione satis addisci posset) sed *subtiliorem*, ut vocant, *Anatomen*, id

id eſt *minorum vaſorum, ductuum, valvularum, membranarum, muſculorum, officulorum* curioſiori ſcientia eum facile carere poſſe: dum ſupervacaneum ſit & inutile minorum partium fabricam, nexum, communicationem, tanto labore, tanto temporis diſpendio, tantis ſumptibus, tantique frigoris, fœtoris & immunditiei moleſtiis, nimia quaſi curioſitate perveſtigare. Vt etiam tandem illam doctrinam pernicioſam aliquomodo veriſimilem repræſentent ſuis, ſubtili ſane fraude ipſis imponunt, oculisque & mentibus eorum glaucoma obiiciunt, unum alterumve exemplum in medium proferendo, ubi nulla Anatomes manifeſta utilitas in praxi medica apparet: ut, quando dicunt, *febrem tertianam aliamve intermittentem ſine omni Anatomes ſcientia a quocunque curari poſſe*, ſi modo rectam curandi methodum calleat, medicamenta febribus pellendis maxime idonea ſciat, v. g. corticis chinæ, aut caſcarillæ rectum uſum &c. noſſet. Sic & *luem veneream* ab agyrtis, barbitonſoribus imo mulierculis nonnullis ſanari, ſine ulla fabricæ internæ corporis humani cognitione; ſi modo mercurio aliisque remediis idoneis recte uti queant. Pergunt porro, ſive cum *Malpighio, Bidloo* aut *Verheyenò*, ſtatuant Anatomici, cerebri corticalem ſubſtantiam eſſe glanduloſam, ſive cum *Ruyſchio, Leuvenhœckio, Vieuſſenio, Bergero*, aliisque eam eſſe vaſculoſam; nihilo tamen melius curari ab Anatomicis apoplexiam, epilepſiam, aliosve cerebri morbos, quam ab iis Medicis, qui hæc neſciunt, aliave ſimilis naturæ exempla proferunt.

VII.

VII.

Sed ut fraudulentam ineptamque horum hominum doctrinam patefaciamus, ac indubitatis testimoniis, ab experientia & ratione petitis, demonstremus, Anatomen subtiliorem, atque quarumcunque partium corporis humani accuratiorem pervestigationem in Medicina, non esse inutilem scientiam, sed magni & non satis prædicandi usus, haud levem nunc dabimus operam. Præ omnibus vero adhuc hic præmonere volumus, cordatos prudentesque Anatomicos non adeo esse arrogantes, ut *sola scientia Anatomica*, sicut nonnulli calumniatur, *omnes morbos curari posse sibi aliisque persuadere velint*; sed optime sciunt, plura ad rectam curationem morborum requiri: ut nimirum veram eorum cognitionem sive diagnosin, congruam medendi methodum, & idoneorum medicamentorum scientiam; sine quibus etiam optimus Anatomicus, aut quicunque Medicus alius, parum vel nihil in curatione morborum, præsertim difficiliorum efficere potest. Hoc tamen minimum evincemus, quod rationalis Medicus Anatomes luce, in morborum quampluriun, maxime obscuriorum, internorum & externorum, imprimis vero chirurgicorum, clariorem cognitionem deducatur, ut meliores ac certiores inde formari queant curandi indicationes & agendi rationes: sicut exemplis mox ostendere conabimur. Ipsa autem postea auxilia ex aliis, quam ex Anatomia, fontibus petenda erunt, *chirurgico* scilicet, *diætetico*, aut *pharmaceutico*; utilesque has scientias a bono Medico coniungi, non separari volunt: & propterea quæcunque

que alibi utilia reperiunt, in ſuum uſum, ſi ægri curandi, quoque convertunt. Fatemur præterea, dari nonnullos morbos, qui *empirice*, id eſt, ſolius experientiæ ductu, ſine Anatomes partis affectæ & cauſſæ cognitione, *febrium* præſertim ac *morbi venerei* exemplis curari poſſunt; concedimus quoque, morbos quosdam cerebri aliarumque partium Anatomicis æque adhuc eſſe inſanabiles, quam aliis. Verum fallunt & falluntur, qui propter nonnulla eiusmodi exempla in omnibus morbis Medicos anatomica ſcientia carere poſſe putant ac docent, atque ſic iuvenes futuros Medicos, ab arte hac utiliſſima, quam ipſi ignorant, addiſcenda detinent, ne diſcipuli parvis hiſce doctoribus ſapientiores fiant, eorumque abſonas hypotheſes perſpiciant: quo ipſo vero artis ſalutaris ſtudioſos a recto tramite in devia, labyrinthos, fictasque hypotheſes deducunt, ut poſtea non niſi empiricam Medicinam, generi humano perniciosiſſimam, facere valeant. Probabimus enim, multos imo quamplurimos reperiri affectus, qui vel prorſus non, vel ſaltem minus cito, tuto aut iucunde absque Anatomica partium ſcientia reſtitui poſſunt; easque hypotheſes, quæ fundamentis anatomicis ſuperſtructæ non ſunt, empiricas eſſe.

VIII.

Præterea quamvis etiam obtrectatoribus concedamus, *ex quavis ſubtilitate Anatomica* (exempli gratia, ex fibrarum muſculi nimis curioſa, quod obiiciunt, reſolutione &c.) *ſingularem non ſequi aut patere utilitatem in Medicina:* tamen facile demonſtrabimus, a

multis Anatomes ſubtilioribus obſervationibus & inventis uſum inſignem in Medicinam practicam redundare. Deinde Anatomica cum omnibus ſcientiis & artibus liberalibus hoc habet commune, quod quædam curioſitatis, iucunditatis & novitatis gratia amatoribus placeant, animumque inveſtigantium oblectentur; etiamſi uſus in Medicina non mox appareat, aut in vita communi manifeſtus ſit. Interim tamen multa ſatis proſtant exempla inventorum Anatomicorum, quæ initio nullum habebant uſum manifeſtum; quorum autem uſus poſtea inventus & iam eſt detectus: quemadmodum mox demonſtrabimus. Quare Anatomicorum recentia inventa, atque accuratior fabricæ corporis noſtri reſolutio ac deſcriptio, etiamſi eorum utilitas mox non ſit adeo manifeſta & perſpicua, explodi, reiici ac contemni haud debent: quia ſæpe diu poſt ab alio ſolerti indagatore illorum uſus verus, vel ſaltem aliquis eorum uſus, curatius inveſtigatur & detegitur, qui aliquod commodum in Medicina præſtare poteſt: ſic, ut illi gloria inventionis rei; huic laus inventionis uſus, aut theoretici aut practici, poſtea adſcribi poſſit: & forte hic uſum nunquam inveniſſet, imo de eo ne quidem cogitaſſet, niſi alius prior partem novam, vas, muſculum, nervum, ductum novum, peculiarem ſitum aut nexum partis, ſingulare interſtium, aut diſtantiam quarundam partium, peculiarem progreſſum aut reptatum &c. reperiſſet & deſcripſiſſet.

IX. Sed

Digitized by Google

IX.

Sed ne videamur nos gratis ea, quæ modo affirmavimus, dixiſſe, *exempla* quædam nunc liceat producere partium, quarum fabrica quidem dudum erat inventa aut cognita, uſus vero in Medicina vel diu poſt, vel noſtra demum tempeſtate eſt detectus; quæ res non ſolum Anatomes neceſſitatem & utilitatem in univerſum, verum etiam ſpeciatim ſubtilioris & accuratioris uſum contra omnes iniquos eius oſores atque hoſtes ſtrenue propugnat & vindicat. Ita *venæ portæ ſtructura* ac diſtributio ad arboris ſimilitudinem, fabricaque eius laxa & valvulis deſtituta, dudum quidem iam erat cognita; attamen olim vel ignorabant morbos atque incommoda, quæ ex hac eius natura potiſſimum oriri ſoleant, vel ſaltem tam bene non cognoſcebant: ideoque etiam vera morbis venæ portæ medendi methodus vel prorſus eos fugiebat, vel ſaltem eam non tam bene, ut nos hodie, perſpiciebant: de qua vero re fuſius nobis adhuc infra erit agendum. *Valvulas cordis* priſcis iam Medicis notas fuiſſe ſcimus: quamvis verum earum uſum omnino ignorarent: usque dum præſtantiſſimus Romanus Anatomicus, *Realdus* COLVMBVS, earum uſum primus aliquo modo agnoverit, a) poſtea vero ſuperiori demum ſeculo Immortalis HARVEVS ſanguinis circulo detecto, legitimam earum functionem omnino planam fecerit, atque extra omne dubium poſuerit, quod nimirum *tricuſpidales* & *mitrales* ſanguini per venas cor ingredienti viam concedant; poſtmodum

a) De re Anatomica lib. VII. de corde & arteriis.

vero ne per easdem portas, contracto corde, regrediatur, occludant. *Semilunares* autem, corde contracto, sanguini exitum quidem in arterias concedant, regressum autem ex arteriis in cor impediant. Quem prædictarum valvularum usum si quis ignoret, de circulatione sanguinis aliisque quamplurimis corporis animalis functionibus, imo de vita & sanitate hominis tam egregie philosophabitur, quam quidem cæcus de coloribus. *Venarum valvulis* seu *ostiolis*, quæ hinc inde in ramis venæ cavæ, manuum præsertim ac pedum observantur, *Fabricii* ab AQVAPENDENTE, ut horum præcipui inventoris, tempore, naturæ rei minime convenientem adscribebant utilitatem; dum post supra laudati HARVEI ætatem verus ac genuinus eorum usus demum inclaruit: qui in eo potissimum consistit, ut sanguinis circulo per venas egregie famulentur. Notum enim est, venas arteriis longe esse debiliores: siquidem arteriæ pluribus aut robustioribus tunicis & inter has tendinea fortique musculari potissimum sunt instructæ, quibus fere destituuntur venæ. Ne itaque sanguis in reditu suo per venas versus cor nimis retardetur aut regrediatur, præsertim ubi ad perpendiculum ascendere debet, aut circa extrema adcumuletur, & ita huius renixus maior esset, quam vis cordis superare posset, appositæ sunt a sapientissimo Numine venis hinc inde supra dictæ valvulæ, ut hæ sanguinem aliquantum sustineant & scalæ quasi sint, quibus ad cor revertens sanguis ascendere eo melius & facilius posset; qui etiam motus legibus mechanicis egregie respondet, nec mul-

multum abſimilis eſt conſtructioni quarundam machinarum hydraulicarum, quibus aqua ex profundo in ſublime elevatur. *Vaſa lactea* non ſolum ERASISTRATO & GALENO iam fuerunt viſa, verum ASELLIO longe melius perſpecta. Sed neque huius neque illorum tempore uſus eorum verus fuit cognitus: dum putarunt, primum vaſa hæc chylum ad hepar perferre, ut in hepate, ex veterum ſententia, in ſanguinem converteretur; cum tamen diu poſt demum Anatomici cognoſcerent, vaſa lactea ſuum liquorem lacteum non hepati, ſed ductui thoracico infundere. Ita & *ductum thoracicum* præſtantiſſimus anatomicus, Bartholomæus EVSTACHIVS, viderat atque deſcripſerat: a) cuius vero tempore nobile hocce inventum, quia uſum eius non cognoverat, nihili fiebat atque negligebatur. Poſtquam autem centum circiter annos poſt PEQVETVS verum eius uſum inveniebat, didicerunt demum Medici, non ſolum per quas vias alimenta aut chylus ex inteſtinis & vaſis lacteis ad ſanguinem atque ad vaſa ſanguifera pervenirent; verum etiam quales morbi ex obſtructione vaſorum chyliferorum oriri queant, & quomodo ex læſione aut vulnere eorum neceſſaria, licet quandoque lenta, mors inſequatur; quæ omnia profecto Medicus ſine dedecore & damno ignorare nequit: cum non ſolum in Phyſiologia, Pathologia, morborum quorundam diagnoſi & curatione, imo & in vulneribus lethalibus recte cognoſcendis & diiudicandis uti-

a) Lib. de vena ſine pari.

litatem præſtent longe maximam. Nam vaſis lacteis maioribus aut ductu thoracico diſſciſſo, chylus nutrimentum ſanguini afferens, intercipitur, e vaſis effunditur, unde certa moriendi neceſſitas inſequitur. Ita *cordis ſubſtantia* muſculoſa HIPPOCRATI a) & CELSO fuit cognita; verus tamen uſus cordis, quod ſcilicet ſanguinem in circulum continuo per omnes corporis partes ob multos uſus propellat, ſuperiori demum ſeculo innotuit. Sic *Hepar, veſiculam fellis glandulasque* plurimas maiores, veteres quidem ſciverunt: uſus vero nobis iam cognitos ignorarunt, & vel nullum ſciverant vel falſum propoſuerant. *Ductus lacrymales* GALENO aliisque ſuperioris ſeculi Medicis haud prorſus incogniti erant, uſus tamen huius ſcientiæ in oculo lacrymante & fiſtula lacrymali curandis hocce demum ſeculo inventus fuit. *Tubas Fallopianas* uteri dudum iam invenit ac deſcripſit FALLOPIVS: uſum vero earum ſuperioris ſeculi Anatomici patefecerunt. Plura hic adhuc adduci poſſent exempla, quæ prolixitatis vitandæ cauſſa omittimus; nonnulla tamen adhuc alio huius diſſertationis loco referemus.

X.

Imo ſi nulla inſuper alia nobis adeſſent tela, quibus Anatomes & cum primis ſubtilioris oſores profligare poſſemus, hæc ſufficerent, *quod vel ii ipſi adverſarii minutiis anatomicis in hypotheſibus ſuis explicandis ſæpe carere nequeant;* nam nonnulli, etſi Anatomen con-

a) Libr. de Corde.

contemnant, tamen si phænomena & causſas morborum ex ſuis principiis Galenicis, v. g. Chemicis, Carteſianis, Helmontianis, Sylvianis, Stahlianis, aliisve quibuscunque nominibus inſignitis, explicare, remediorumque vires agendique modum, aliasve res deſcribere, atque auditoribus vel lectoribus ſuis inculcare laborant, profecto abſtinere tamen ſæpius non poſſunt ſibive temperare, ſi quid peculiare aut attentione dignum proferre, aut rem difficiliorem explicare volunt, quin in ſubſidium adducant ſtructuram corporis humani partiumque poſituram, connexionem, inſertionem & communicationem ſingularem, earum cum aliis per ductus ſæpe ſubtiliores, peculiaria vaſa, nervos, membranas &c. quæ ſane ſine intellectu Anatomes ſubtilioris a lectoribus aut diſcipulis eorum intelligi nequeunt; etiamſi velint, ut hi cæca quaſi fide & obedientia Anatomen inutilem eſſe credant, & tamen eorum dictis fidem habeant; imo ea, quæ ſine cadaveris humani adcurata & oculari inſpectione comprehendere ſatis nunquam poterunt, pro veris tamen ſine anatomica cognitione adſumere debeant. Exempla hic producere aut ſcriptores tales citare, res eſt odioſa: qui vero in recentiorum Medicorum ſcriptis verſati ſunt, facile eos, quos hic redarguimus, quaſi leonem ex ungue, cognoſcent.

XI.

Interea tamen ſi quis huic noſtræ ſententiæ fidem adhibere nolit, recentiorum quorundam Medicorum adeat ſcripta, & inveniet ſane multos, qui

qui phænomena e. g. in *malo hypochondriaco*, *hysterico*, *melancholia*, *dolore hepatis*, *lienis*, *ventriculi*, *inteſtinorum & lumborum*, *hæmorrhoidibus cæcis & fluentibus*, *vomituque cruento*, *ictero*, *cachexia*, *hydrope*, aliaque multa ex peculiari illa, de qua ſupra iam diximus, Venæ Portæ ſtructura ac fabrica, communicatione inter hepar, lienem, ventriculum, inteſtina, nominatim rectum, pancreas atque omentum, ſingularique illa conſtitutione, qua nunc venæ, nunc arteriæ munere fungitur; qua nunc ex anguſtiſſimis radicibus in maiores, ex his in truncum amplum, ex hoc rurſus per ramos anguſtiores, & ex his tandem per minutiſſimos ramulos ſanguinem transmittit, modo ab aliis omnibus Venis prorſus diverſo; qua valvulis etiam deſtituta eſt, quæ aliis in venis adſunt, explicant, & bene quidem noſtro iudicio: a) huic fundamento Anatomico etiam omnem deinde ſuam theoriam & curationem horum morborum ſuperſtruunt, nec non medicamenta methodumque medendi huic ſcopo accommodant, & tamen nonnulli ex his ſcriptoribus in Anatomicos & ſcientiam Anatomicam acerbe invehuntur, utiliſſimam hanc artem contemnunt, & quavis fere occaſione inutilem pronunciant. Sed quis, quæſo, non cognoſcit, has omnes a Venæ Portæ fabrica deſumtas explicationes niti fundamento Anatomico, & quidem, ſi recte de hac re iudicare velimus, veris ſubtilitatibus Anatomicis; nam profecto ſine Anatome ſubtiliori aut accuratiori, conſtitutio venæ Portæ & diſtributio eius cognoſci aut intelligi rite non po-

a) Vid. *Stahlii* diſſert. de Vena portæ, porta malorum.

poteſt; imo quod valvulis eius rami, imprimis vero eius radices per inteſtina, ventriculum & lienem diſperſæ, deſtitutæ ſint, merito ad ſubtiliorem Anatomen referendum eſt: nam profecto non unica rudiori inſpectione hæc fabrica deprehenditur; verum ſubtiliori inquiſitione, diſſectionibus ramulorum minimorum, iniectionibus, aliisque adminiculis artificioſis demum cognoſcitur. Adeoque male & contra ſe ipſos agunt, qui in Medicina Medicinæ curioſæ etiam Anatomiæ ſubtiliori pharmaca parare conantur: quia quam plurimæ minutiæ & ſubtilitates Anatomicæ uſum in Medicina, ſicut infra uberius demonſtrabimus, obtinent. Cl. STAHLIVS, licet variis in ſcriptis Anatomes utilitatem plus iuſto ſæpe minuat, hoc tamen in negotio ſubtilior Venæ Portæ inquiſitio atque conſideratio omnem implent paginam: cumque ex eius aſſeclis ac diſcipulis varii adhuc magis Anatomes utilitatem contemnant, his tamen in morbis aliisque variis etiam vel inviti eam agnoſcunt atque admirantur.

XII.

Alius quidam ſcriptor recens ſub *Chriſtian.* DEMOCRITI nomine, de quo iam (IV.) diximus, latens, vir, neſcio utrum magno & ſingulari ingenio, an nomine excitatarum turbarum per multas Europæ provincias, opinionibus ſuis peculiaribus & paradoxis clarior, de Anatome & Anatomicis quoque haud bene ſentiens, ſed potius eos pro more ſuo acerbe perſtringens; tamen ex magna quadam ſubtilitate Anatomica, *ratione diverſæ inſertionis ductus pancreatici*

tici & cholidochi in inteſtinum duodenum, totam paroxyſmorum febrium intermittentium naturam ac indolem explicare conatur, atque hac ſubtiliſſima obſervatione totam harum febrium theoriam & curationem ſuperſtruere nititur; nec forte adeo inepte, ſed potius tam opportune, ut multi forte ingenium huius viri hac in re ſatis admirari non poſſint. Nimirum differit primum de variis, ineptis opinionibus, quibus paroxyſmorum febrium varietatem & naturam explicare tentarunt autores varii: quas vero omnes tanquam falſas reiicit & explodit, atque ſequentem ſubſtituit. *Coniecturis*, inquit, a) *additam videre coniecturam non gravabuntur ii, qui rerum cauſſis inveſtigatis ſe felices putant, & patienter audient, quæ rationi & experientiæ conſentanea arbitramur. Putamus, malum febrium cum horrore intermittentium primam originem trahere ex ventriculi Pyloro, vel orificio inferiore, fracedine & erodentibus humoribus correpto & corrupto, ac hinc dolorum ſenſu tumido & indurato: hoc tumore & duritie ulterius corripi, putamus, inteſtinum duodenum, qua parte carnoſius ventriculo committitur, & in ſe ductum tam* VIRSVNGIANVM, *quam* PORVM *biliarium in unum orificium coëuntes, aliquando etiam duobus orificiis & valvulis diſtinctos, recipit. Tumore hoc duodeni orificium iſtud in tunicis ſuis inflari & coarctari & valvulam obiectam rigidius fiſſuras claudere, in aprico eſt; idque maxime in ductu biliario, qui intra membranas validas angusta concavitate*

a) Lib. vitæ animal. Morbus & Med. p. 86. & ſeq.

tate oblique serpit, antequam ductui pancreatico iungatur, & intra duodeni concavum suas dotes effundat; cum ductus VIRSVNGIANVS *recta linea & non impedita concavitate sui canalis, in duodenum exeat. Stricto ergo sic utriusque ductus orificio & præmente arctius fissurani valvula ex tumore rigida, sistitur eousque liquor contentus, donec, repletis nimium vasis, quasi vi cataractas obiectas rumpat, & impetuoso gurgite in duodenum se effundat; primas absolvente vices succo pancreatico, ampliore & liberiore canali ad orificium commune derivato, qui frigoris & horroris auctor est genuinus, & subsequente, post certum temporis, quod temperamentum & digestio animalis definit, tractum, bile, nova & contraria vi prioris mixturæ excessum excessive temperante & æstum concitante. Facta sic evacuatione utriusque liquoris, orificium rursus contrahi, ut fuit, nemo non videt, donec nova repletio novam moliatur exinanitionem, & ita periodorum diversas ex temperamento, & ex vasorum repletione statas leges constituat.* Hæc DEMOCRITVS. Sed rogo omnes & singulos, quibus animus a præiudicatis opinionibus liber est, & qui æquo animo gravibus de rebus iudicant, inque rebus seriis nugas agere nolunt, an hæc explicatio paroxysmorum febrium non nitatur subtilitate anatomica, & an maior fere subtilitas anatomica excogitari possit, quam hæc, cui autor (qui tamen alias anatomen, & cumprimis subtilitates & minutias anatomicas, tanquam inutiles, reiicit) hanc suam de febribus intermittentibus superstruit hypothesin? quæ potissimum consistit *in ductus pancreatici vel Virsungiani rectiori*

insertione in duodenum & non impedita concavitate sui canalis, cum ductus biliarius intra membranas eiusdem intestini oblique & angustata cavitate serpat, ideoque a tumente inflatoque duodeno facilius comprimatur, quam Pancreaticus. Profecto si hoc non est subtilitas Anatomica, ductuum similium rectiorem vel obliquiorem insertionem, cavitatem paullo ampliorem vel angustiorem cum præfixa valvula observare, annotare & tam egregios usus inde deducere, nescio quibus cancellis Anatome subtilior includi debeat. Nam si hoc de omnibus similibus canalibus aut vasis in corpore humano tam accurate investigare, pervolvere & inquirere vellemus, res esset admodum magni laboris & industriæ. Interea tamen ex hoc quoque exemplo liquet, quam pulchra, iucunda, admiranda atque utilia ex Anatome, præsertim subtili, in Artem Medicam, inducantur aut induci queant, atque hoc etiam-sæpe ab illis, qui nobilissimam illam scientiam tantopere contemnunt, parvi faciunt, aut saltem debito honore ac laude, prout meretur, de ea non sentiunt; cum tamen ea postea neque in theoria neque in praxi carere possint. Facile præterea ex his perspici potest, quam male idem auctor *unica inspectione* cadaveris humani totam eius fabricam, quæ Medico scitu sit necessaria, addisci posse, supra affirmaverit.

XIII.

Nihil itaque nos a debita laude iustaque æstimatione Anatomes subtilioris deflectere poterit, quicquid malevoli aut ignari clamitent, qui eandem in foro

ro Medico præcipue autem pathologico & practico parum admodum vel nihil emolumenti habere pertinaciter ſed ſatis temere clamitant. Nos ſane meliora edocti cum Cl. BERGERO aliisque quam plurimis nobiliſſimis Medicis firmiter nobis perſuaſum habemus, *neminem inter præſtantiores aut optimos referri Medicos poſſe, qui non ſit Anatomicus;* cum Anatomia reliquarum Medicinæ partium omnino ſit fundamentum firmiſſimum, a qua merito in ſtudio Medico initium eſt faciendum: partim, ut in difficili & ſatis ampla hæc ſcientia maiores ſemper faciamus progreſſus; partim etiam, ut, quo meliorem habemus corporis ſani ideam & cognitionem, eo clariorem etiam poſtmodum ſtatus morboſi formare poſſimus deſcriptionem; id quod maxime neceſſarium eſſe ſequentibus monſtrabimus a). Prius autem dicendum definiendumque nobis erit, quid potiſſimum ſub *Anatomes ſubtilioris* appellatione aut nomine intelligamus, atque intelligendum ſit.

XIV.

Vocamus autem *Anatomiam ſubtiliorem* accuratiorem corporis humani partium, inprimis vero minorum, ut vaſorum, nervorum, ductuum, valvularum, membranarum, oſſium, muſculorum &c. ſitus, ne-

a) Conf. DOERING. de Medicina. Lib. II. cap. IV. BOHN. de vuln. lethali p. 55. & 56. HEVCHERI Ars magna Anatomic. Fr. HOFFMANNdiſſ. de Anatomes uſu in Medicina, & Epiſtola diſſertationi de Fiſtula ani annexa. *Hiſtor. Acad. Reg. Pariſ.* Præfatio An. 1699. præmiſſa, MORGAGN. in Epiſt. quæ continetur in ANELLI continuat. Fiſtul. lacrym. p. 62. VALLISNERII Hiſtor. Generat. p. 403.

xus, figuræ, fabricæ & uſus inveſtigationem, ope ſectionis ac ſenſuum laborioſa inquiſitione, itemque injectionum, nec non ipſorum Microſcopiorum, tam in cadaveribus humanis, quam in animalibus vivis & mortuis, ad detegendam intimiorem ac veram partium corporis humani ſtructuram, compoſitionem & uſum, curioſa atque laborioſa perveſtigatione. Vnde patet, hanc Anatomiam craſſiore ſive ſuperficiali notitia ſitus, figuræ & connexionis partium aut viſcerum maiorum contentam non eſſe; (quam DEMOCRITVS ille aliique cavillatores aut ignari in Medicina ſufficere putant.) Sed & ſubtiliora, tenuiora ac minora, imo minima inquirere, & facto cortice ad intimiora & interiora perluſtranda atque adcurate perſcrutanda penetrare, quodque nudis ſenſibus & ſine artificio aſſequi non poteſt, injectionibus atque oculis armatis, inſectis & animalibus omnis generis, quæ Deus in uſum hominum creavit, aliisque quibuscumque adminiculis utitur; partim ut admiranda Divini Numinis, tanquam ſtupendæ noſtræ machinæ corporeæ Fabri, ſapientia eo magis *in uſum Theologicum*, inde eluceat, quo Epicuræi & Athei certo convincantur, eſſe omnino Deum, atque tam artificioſam machinam tanta elegantia, tanta ſubtilitate, tam concinno ordine, ex atomis caſu fortuito non confluxiſſe aut coaluiſſe, ſicut delirantes tales homines ſibi fingunt; partim *in uſum Medicum*, tam theoreticum, quam practicum, ut conſtitutio, ſitus & uſus partium legitimus, naturalis & verus ceu regula recti, Medico in morborum recta cognitione, & inde pendente optima

tima indicatione atque curatione norma obliqui eo melius esse possit. Qui certe usus tanti sunt momenti, ut maiores nulla in scientia vel arte excogitari possint: dum æque animæ, divinæ illius scintillæ, ac corporis huius fragilis salutem & commodum respiciunt. Qua de re uberius legatur Cl. FONTANELLI elegans atque doctissima præfatio, supra iam laudata, quæ Historiæ Academiæ Parisinæ An. 1699. in editione Belgica præmissa est.

XV.

Vt vero clarius iam demonstremus, quibus in partibus Medicinæ hæc, de qua agimus, scientia prosit, sciendum primo, *Anatomen generatim, & speciatim subtiliorem in Physiologia* egregium usum *& commodum præstare*, imo hic omnem paginam absolvere, sicut nec ipsi iniquissimi Anatomes hostes negare possunt, & in hac eam aliquid valere facile fateri coguntur: quia absonum & ab omni ratione alienum est, usum partium corporis humani rite cognoscere aut scire posse, sine anatomica earum cognitione. Quis enim de parte corporis, aut alius cuiusdam machinæ, quam nunquam oculis lustravit, aut cuius fabricam ignorat, recte iudicare aut sentire poterit? Quis usum cordis, quis pulmonis, quis laryngis, quis oculorum, quis aurium, linguæ, hepatis, renum, partiumque genitalium utriusque sexus, intelliget aut explicabit, si structuram eorum nesciat? Hinc nemo facile erit Medicorum, ex ipsa etiam hostium cohorte, cuicunque ceteroquin sectæ Medicæ sit addictus, qui, licet reve-

revera in anatome valde rudis sit, ignorantiam anatomes sibi exprobrare æquo animo patietur; aut facile feret, si quis ipsi obiiceret, se ignorare anatomen; verum exprobrationem hanc pro iniuria aut convicio habebit: quia omnes emunctioris nasi homines, ratione & experientia convicti, talem bonum Medicum esse non posse credunt, qui in cognitione fabricæ corporis humani rudis atque hospes est. In medium igitur, ne quid gratis asseruisse videamur, specialia proferre placet quædam exempla, quæ *utilitatem Anatomes subtilioris in Physiologia*, tam clare demonstrant, ut nemo iure ea de re dubitare amplius possit. Ne autem criminis prolixitatis rei fiamus, si de omnibus dicere vellemus, pauca tantum prodibunt, & quidem eiusmodi inventa anatomica subtiliora partium, quæ veteribus vel plane non, aut tamen obscure & imperfectæ notæ erant, quibus ideo etiam falsam & perversam sæpius adscribebant functionem.

XVI.

De *Saliva* sane prisci Medici eam fovebant sententiam, ac si ex vaporibus & halitibus ex ventriculo surgentibus, in ore autem & faucibus ab aëre condensatis, & in fluidum sensibile mutatis, constaret, excrementitiisque omnino atque inutilibus humoribus esset accensenda; quorum tamen numero salivam merito postmodum exemit laudabilis Anatomicorum recentiorum, qui subtiliores ac minores partes curiosius rimati sunt, industria; dum multa & indefessa corporis humani inquisitione tot scaturigines & alveos,

os, tot glandulas & ductus in ore & circa illud invenit, per quos salutaris iste latex, cibis manducandis, deglutiendis, diluendis, miscendis, solvendis, similesque reddendis, corporis nostri humoribus &c. apprime idoneus, prorumpere consueuit, ut nemo prudens amplius hodie eam vaporibus ventriculi adscribat. a) *Sanguinis circulatio* licet ab HARVEO validis satis argumentis comprobata fuerit; microscopiorum tamen ope LEVENHOEKIO aliisque tam clare ob oculos posita est in variis animalibus, ranis potissimum atque anguillis, aliisque piscibus, ut nemo, qui experimentum vidit, de hac re amplius dubitare possit. Idem fere sentiendum de *vermiculis in semine masculino.* Eorundem *microscopiorum usu* MALPIGHIVS rete vasorum in pulmonibus, & quod arteriæ pulmonalis extrema minima cum venæ pulmonalis extremis cohæreant, observavit; quod postea etiam Celeb. RVYSCHIVS mirabilibus suis iniectionibus variis aliis in partibus detexit: quibus observationibus discimus, quomodo sanguis ex arteriis per venas transeat ac redeat. *Microscopia* etiam atque iniectiones in cute aliisque partibus tam multa, tam exigua, tamque copiosa vasa nobis patefecerunt, quæ sine his adhuc ignoraremus: quibus tamen multa phænomena v. gr. nutritionis, secretionis, aliarumque rerum rectius intelligere & explicare possumus. *Digestio ventriculi & intestinorum* inconcinne admodum nobis olim est explicata, per calidum innatum, coctionem,

a) Vid. de his ductibus & glandulis Cl. PRÆSIDIS Compend. Anat. edit. III. p. 133.

fermentationem, Archæos, Gaſteranaces, & neſcio quos obſcuri nominis ventriculi cuſtodes atque rectores; a quorum vero tyrannide & abſono imperio ut liberaretur ventriculus, quantum, quæſo, contribuebat Anatomia ſubtilior? Inventa enim primo inter alias ventriculi tunicas, etiam muſculari, ex mirabili fibrarum carnearum curſu conſtante, & eadem hac tunica in inteſtinis detecta, quibus hæ partes continuo moventur & agitantur, clarior omnino reddebatur modus digeſtionis ciborum, digeſtorumque expulſionis & propulſionis e ventriculo atque inteſtinis ratio. Inteſtinorum etiam prædicta muſcularis tunica, cum tam ex orbicularibus, quam longitudinalibus ſive transverſis fibris conſtet, reciproce modo inteſtina per partes, ſecundum longitudinem minuit, modo diametrum eorum arctat, & ſic vermicularem ſeu periſtalticum motum producit: qui non ſolum liquidum ſolvens, quod in ventriculo *gaſtricum* vulgo appellant, ex vaſis & glandulis exiguis exprimit; verum etiam chylum contentum movet, propellit, miſcet, arctat, lateribus canalis alimentarii apprimit, imo in vaſcula lactea & per hæc ad ductum usque thoracicum protrudit; cui operi egregie inſerviunt in inteſtino obviæ *conniventes valvulæ*, a KERKRINGIO primum deſcriptæ, quæ eodem hoc motu periſtaltico ſurgunt, eriguntur, contenta intercipiunt, ne nimis facile aut ſurſum aut deorſum protrudantur. *Glandulæ* præterea copioſiſſimæ cum in ventriculo, tum in inteſtinis a PEYERO deprehenſæ, liquidum perpetuo in horum cava ſecernentes, (quod ſolvendi vi inſtructum eſt) modum

modum digeſtionis ſive reſolutionis alimentorum longe melius nos docent, quam veteres eum cognoverant. *Bilis* cum ſaliva ſimilia olim paſſa eſt fata: dum æque excrementitius & inutilis humor, nilque niſi fex & excrementum ſanguinis eſt habita a veteribus, donec itidem induſtria anatomica detegerit, eam magno artificio in hepate ex venæ portæ ſanguine ſecerni, partimque veſiculæ felleæ per certos ductus infundi, ut ex ea ſuo tempore depromi poſſet; partim autem absque his ambagibus recto tramite in ductum cholidochum, atque ex hoc mox in inteſtinum duodenum transeat, cum chylo miſceatur, eum potiſſimum in finem, ut ibi alimentorum ſive chyli acidum mutet, oleoſa cum aqueis miſceat, tenacia reſolvat, latera inteſtinorum abſtergat, fibras motrices ſtimulet, expulſionem fæcis alvinæ promoveat &c. *Pancreas* non ante adeo longum temporis ſpatium unice erat deſtinatum, ut pulvinar miniſtraret ſtomacho: ne, præſertim quando decumbimus, duris vertebris offendatur. Poſtea vero, deprehenſo ſubtili eoque novo ductu ab Anatomicis, aliud adhuc idque longe nobilius munus ei eſt impoſitum: ut ſcilicet per peculiarem illum ductum, quem *Pancreaticum* vulgo aut *Virſungianum* appellant, liquorem quendam inteſtino duodeno ſuppediret, natura & virtute ſalivæ ſimillimum, quo ciborum reſolutio chylique fluiditas egregie promovetur. Cuius generis etiam is eſt, quem ex *copioſiſſimis duodeni novis glandulis* ſecerni, primo demonſtravit Cl. BRVNNERVS. Qui *vaſa lactea* ſive *chylifera*, ad quæ *ductus thoracicus* pertinet, ignorant, illi etiam

quomodo chylus, qui materia nutritionis eſt, ad ſanguinem perveniat, neſciunt. Quibus *valvularum cordis* fabrica ac diſpoſitio, itemque *fibrarum eius muſcularium* diſpoſitio haud perſpecta eſt, illi nobiliſſimam, imo principem vitæ actionem, unde omnes reliquæ in corpore humano dependent, ſanguinis ſcilicet motum in orbem, comprehendere aut intelligere non poſſunt. Hinc quales Medici illi ſint, qui hæc ignorant, facile iudicare licet. Interea tamen horum intellectus ſubtiliorum partium cognitionem anatomicam abſolute requirit. Ad ſubtiliorem Anatomen omnino etiam pertinet, *nervorum per partes corporis humani exacta evolutio*: hæc enim inter alia docuit, nervos a cerebro oriundos, progredi ad partes voluntati noſtræ ſubiectas; eos autem, qui a cerebello proveniunt, implantari partibus, quarum functio a noſtra voluntate non dependet: ut cordis, ventriculi, omnium viſcerum & glandularum, quæ aliquid ſecernunt &c. Vnde non tantum varietas actionum animalium & naturalium egregie explicatur; verum etiam, quod vulnera cerebelli periculoſiora magisque lethifera ſint, quam cerebri, intelligitur atque diiudicatur. Miramur autem merito ſummam hic creatoris providentiam, qui actiones vitales noſtræ voluntati non ſubiecit: ne ſceleſti homines tam facile vitam ſibi ipſis, absque vi externa, adimere poſſint. His in nevrologia ſubtilitatibus anatomicis *ſternutationis* egregiam debemus explicationem: olfactorium enim organum, poſt primi paris nervos, etiam obtinet ramum paris quinti, qui cum ramulis paris ſexti nervos conſtituit intercoſta-

les,

les, per omnes fere thoracis & abdominis partes distributos, & cum pari octavo sive vago multum communicantes. Si itaque a quacunque causa in naribus irritantur nervi primi & quinti paris, maior non solum accidit influxus spirituum in has partes, sed simul etiam in ramulos paris intercostalis atque octavi: & quia ab his quoque nervis organa respirationis ramulos accipiunt, atque inprimis etiam diaphragma, oritur convulsio cita partium respirationi dicatarum, diaphragmatis, abdominis &c. aërque magna vi protruditur per tracheam ad fauces & nares, ibique explodit mucum organa odoratus, speciatim *membranam pituitariam Schneideri* obsidentem, & sic, excusso stimulo, qui causa ibi erat irritationis nervorum, cessat iterum sternutatio. Vnde operosam hanc actionem minime esse corpori nostro inutilem concludere levi negotio licet. Si subtiliori Anatome *ovula in ovariis & tubæ Fallopianæ* non fuissent inventæ, modum, & viam, qua ovula imprægnata sive fœtus ad uterum pervenirent, ignoraremus. Qua ratione *genitura ex testibus* ad ductus deferentes & ex his ad vesiculas seminales, atque ex vesiculis in urethram perveniat, nemo sine subtiliori Anatome intelliget, qui *foraminis ovalis* & canalis arteriosi in corde, canalisque venosi in hepate infantis cognitionem non habet, ille, quomodo sanguis fœtus in utero sine respiratione circulare possit, comprehendere nequit. De *deglutitionis*, *loquelæ*, *cantus* a) aliarumque nobiliorum

a) vid. AMMANN. de loquela, & DODARTIVS in Histor. Acad. Paris. de vocis formatione.

atque mirabilium actionum explicatione, itemque *capitis, digitorum & oculorum motibus*, &c. noſtris demum temporibus, (inventis variis hinc inde glandulis, cartilaginibus parvisque muſculis) melius cognitis, brevitatis cauſſa nunc nihil dicam: quia neminem elegantioris ingenii hominem eſſe exiſtimo, qui uſum Anatomes ſubtilioris in Phyſiologia, ſive in uſu partium exponendo iure negare audebit.

XVII.

In nulla autem Phyſiologiæ parte maius incrementum attulit ſubtilior Anatome, quam in *ſenſuum externorum* explicatione. Sane ſi omnia intra unius ſeculi inventa Anatomica ſubtiliora circa organa ſenſuum recenſere, imo explicare nobis eſſet animus, diſſertationis limites transcenderet & in magnum librum exceſceret hæcce noſtra tractatio; quamobrem unum atque alterum tantum ſpeciminis loco hic addere volupe eſt. *Viſus* ſane quomodo fieret non ante adeo longum temporis ſpatium verſatiſſimos exercebat Phyſicos, Medicos atque Anatomicos, ita, ut parum, quomodo viſus fieret, viderent: id quod eorum ſuo tempore facile Princeps, magnus VESALIVS, ſuo exemplo oſtendit, dum conqueritur, *ſe rationem, quo fiat auditus, æque latere ac viſus:* quod exinde factum eſſe arbitror, quia harum partium ſubtilior atque exacta compoſitio ipſi adhuc erat incognita. Et ſane, ſi *oculi* ſtructuram paullo accuratius penſitemus, multa loge ſubtiliſſima, ſcitu tamen ad viſum recte intelligendum maxime neceſſaria deprehendemus.

mus. Taceo nunc *oculi musculos* & inter hos præcipue *obliquum maiorem*, artificiosissime trochleæ quasi supertensum, quibus mirabiles celerrimique oculorum motus perficiuntur. Taceo *humores* diversos eorumque verum situm, fabricam, figuram ac dispositionem, admirandis usibus in radiis infringendis atque colligendis inservientes: & sicco pede transeo tunicarum oculi structuram, positum, naturam, & usum, unica excepta *uvea* sive *Iride*, de qua, quia subtilior eius fabrica diu erat neglecta, ideoque & actionis ratio abscondita, pauca dicere lubet. Contractio sane pupillæ in maiore, & dilatatio in minore lumine, quam observamus, multum facessit negotium iis, qui hoc phænomenon, structura nondum satis cognita, exponere susceperunt. In Academia Regia Scientiarum, quæ Parisiis est, multum ea de caussa est disputatum. *Merius* enim, celebris quondam Anatomicus, qui non nisi longitudinales in uvea fibras, a peripheria eius, versus pupillam, tanquam centrum, progredientes cognoverat, constrictionem iridis, maiori lumini expositæ, ita explicabat. *Constare scilicet iridem ex longitudinalibus eiusmodi, ut modo diximus, fibris in unum circellum ad pupillam coeuntibus. Quas quidem fibras musculares non esse existimat; tamen elasticas, atque ab earum elatere sive contractione dependere pupillæ dilatationem in minore lumine. Si autem oculus maiori cuivis luci exponeretur, oriri putat, per titillationem fortiorum radiorum spirituum copiosiorem influxum, atque ita harum fibrarum elongationem, qua minor fieret circuli diameter*, sive *pupillæ constrictio*. Satisfeciſſet forte

te hæc huius phænomeni explicatio nonnullis, nisi obstitisset dubium, quod musculosæ partes, in quas maior spirituum fit influxus, contractionem, non autem dilatationem patiantur: unde sequeretur, si per radios lucis fortioris copiosior oriatur spirituum influxus in fibras iridis, ea omnino constringi, eoque ipso pupillam dilatari sive expandi. Hanc tamen ut eluderet obiectionem, valde se torquebat *Merius*, aliamque subesse fibris iridis fabricam, quam aliis musculosis corporis humani partibus, fingebat. *Similes enim eas esse fibras iridis, perhibet, structuræ penis.* Vtramque scilicet constare ex corporibus cavernosis, utramque etiam sub spirituum maiori influxu elongari, aiebat. Insufficiens tamen hæc *Merii* explicatio merito cæteris videbatur Academiæ sociis aliisque eruditis, maxime autem eandem impugnabat *de la Hire*, qui aliam quidem substituebat descriptionem, quæ tamen æque obscura & insufficiens videtur. Quibus vero ex balænæ boumque oculis cognitus est pupillæ sphincter, sive fibræ circulares limbum pupillæ cingentes, illi facilem ac perspicuam rationem perspiciunt, qua ratione pupilla contrahatur atque angustetur: quam *Merius* tam anxie in ficta fibrarum longitudinalium cavernosa fabrica frustra quærebat: atque simul ex ciliarium processuum situ ac natura, qui non nisi subtili inquisitione deprehenduntur, dilatationem pupillæ pro radiis varia ratione modificandis, intelligent. Longe plura ex oculi subtilissima fabrica huc facientia adduci facile possent, nisi brevitati iam studerem. Conferri tamen hic possunt BRIGSIVS & DE LA HIRE

HIRE de viſu, Cel. BOERHAVII caput de viſu in Inſtitutionibus ſuis Medicis, atque ea, quæ de oculis habet Cl. PRÆSES in diſſertatione ſua de *Tunica choroidea*, & compendio anatomico. *Auditus organi* conſtructionem æque mirabilem, æque ſubtilem, æque admirandam, ſed & cognitu æque difficilem eſſe ac viſus, nemo dubitabit, qui utrarumque partium aliquam habet ideam. Tot enim ſimul concurrunt ſubtiles cartilagines, exilia officula, tenerrimæ membranæ, minutiſſimi muſculi & nervi, totque meatus exigui, ut æque difficile ſit has partes omnes bene noſſe, ac neceſſarium eſt, ſi auditus rationem & modum intelligere velis, ne unicam quidem neglexiſſe: quemadmodum ex recentioribus, qui de auditu ſcripſerunt, DVVERNEO, SCHELHAMMERO, VALSALVA, atque VIEVSSENIO abunde cognoſci poteſt. Ita & *guſtus organum* non niſi ſubtiliſſimis MALPIGHII atque FRACASSATI inquiſitionibus nobis innotuit. Verbo; qui in *guſtus*, *viſus* atque *auditus* ſenſibus rite percipiendis ſubtilem Anatomen non cognoſcit eſſe neceſſariam, illum nihil capere vel intelligere omnes ſaniores facile cognoſcent: atque ſine hac profecto cœci quaſi adhuc & ſtupidi eſſemus in ſenſuum organis, aliarumque multarum partium uſibus intelligendis atque diiudicandis.

XVIII.

Sed ne quis putet Anatomes ſubtilioris utilitatem phyſiologiæ tantum includi cancellis, *operam dabimus, ut monſtremus multum omnino eandem etiam prodeſſe in* PATHOLOGIA, *ſive in detegendis diverſis*

morbis, eorumque fignis, ſedibus, natura & abditis ſæpe cauſſis rite perveſtigandis. Venæ portæ, huiusque ultimorum ramuſculorum notitia, ac valvularum in hac vena abſentia, ſubtilitatibus omnino atque minutiis anatomicis merito annumerandam eſſe iam ſupra innuimus. Sed quis absque illa venæ huius notitia anatomica multorum, abdominis præcipue, ac hæmorrhoidalium morborum, explicabit naturam? cum ea vena, rectiſſime monente Cl. STAHLIO, conſentientientibus omnibus eius aſſeclis, multorum malorum porta ſit. a) Structura eius primo valvulis deſtituta, atque deinde ſuperius in arboris ſimilitudinem ſe expandens, ubi ſanguis craſſior absque magna vi ex ampliori trunco per ſubtiliſſimos ramulos in hepate tranſire debet ad venam cavam & poros biliarios, clare omnino demonſtrat, morum ſanguinis ibi eſſe languidiorem, quam in aliis partibus, tranſitumque per denſum hepatis parenchyma, præſertim in otioſis, & ubi ſanguis copioſus, craſſus & viſcidus peccat, perquam difficilem: atque ita obſtructionibus, congeſtionibus, doloribus, ſpasmis, inflammationibus aliisque ſymptomatibus ſuſcipiendis partes, quas alluit, præ cæteris eſſe aptiores. Imo forſan ad frequentes ibi oriundas obſtructiones etiam multum confert, quod veriſimiliter portio quædam chyli per venas meſeraicas inteſtinorum venæ portæ infundatur: quæ tamen chyli portio non æque tenuis ac diluta mihi videtur, quam ea, quæ venam ſubclaviam per vaſa lactea

a) Vid. diſſert. de Ven. portæ, porta malorum.

lactea ductumque chyliferum subit; quippe cui ingens lymphae tenuioris quantitas est permista. Si porro consideramus, ramos venæ portæ omnibus propemodum partibus abdominis impertiri, varias etiam facile cognoscemus morbos inde pendentes. Non enim, uti iam monuimus, vasa tantum meseraica intestinorum emittit; verum etiam venam hæmorrhoidalem internam, venas ventriculi, lienis, vasa brevia, epiploica, gastro-epiploica, pancreatica, venas porro cysticas ac duodenas, pro radicibus agnoscit, quæ omnes prope hepar in unum truncum, hic in hepate in sinum portæ mutantur: ubi post modum primo in ramos quosdam maiores, hi vero ramusculis minimis capillaribus, innumeris, totum hepatis firmum densumque parenchyma perreptant. Si nobis iam concipimus, hepar, aliasque partes abdominis inflexis, nimium sedendo, hypochondriis, aliave quacunque demum de causa, nimis esse pressas, chylum & sanguinem a cibis viscidis, crassis, aut studiis gravioribus nimis spissum, levi negotio intelligere licet, has venas, præsertim quæ ramulorum instar per hepar distribuuntur, facile obstrui, sanguinem per eas non rite fluere posse, sed accumulari ac stagnare. Hinc in quibusdam bilis secretionem impediri: unde postmodum oriuntur digestio ventriculi & intestinorum læsa; pituitæ & cruditatum in primis viis & deinde etiam in sanguine, cumulus; præterea flatus, dolor tensivus partium obstructarum & vicinarum, tensio & gravitas ventriculi, pondus & tumor circa hypochondria & diaphragma, *difficilis respiratio, anxietas præcordiorum, icte-*

rus, cachexia, hydrops, febres, inflammationes horum viscerum, hæmorrhoides & sexcenta alia. Si autem eiusmodi obstructio, atque maior harum partium distensio, cum subsequente contractatione spasmodica in hominibus, præsertim plethoricis, & quorum sanguis sulphureis, biliosis, fervidis atque ebullientibus particulis abundat, adfuerit, & sanguis in debito loco transire nequeat, in alium, ubi minor est renixus, continuante pressione sanguinis a tergo, eo maiori impetu ruit, & vel *inflammationes* ibidem partium internarum abdominis creat, aut *abscessus*, tabes, *scirrhos* & hydropes producit; aut partes debiliores, prorsus disrumpit: unde solutis vasis brevibus in ventriculo, *vomitus cruentus*, solutis autem in intestino recto vasis hæmorrhoidalibus, sanguinis fluxus per anum, sive *hæmorrhoides* oriuntur. Imo si in his partibus exitum adipisci nequit, sanguis nimius in nonnullis vasa pulmonis, narium aut renum perrumpit, atque sic vel *hæmoptysin*, vel *narium hæmorrhagiam*, vel *mictum cruentum*; in aliis vero alia mala, ex eodem tamen fundamento facile deducenda, concitat. Speciatim autem Vena portæ, valvulis orba, *hæmorrhoidum* in hisce sanguinis in Vena portæ congestionibus, egregie explicat *ortum*, præcipue si paullo curatius consideremus valvularum in venis usum: qui, ut supra monuimus, in eo potissimum consistit, ut sanguinem superiorem sustentent, ne relabi, recedere aut extrema venarum premere vel dilatare aut aperire queat, atque sic, motum sanguinis adiuvent. Cum autem in vena portæ desint omnino hæ valvulæ, via autem

ex

ex hæmorrhoidalibus ad hepar propemodum perpendicularis ſit, atque magnum pondus ſanguinis in vena portæ venis inteſtini recti incumbat, illasque premat; liquet, ſanguinem huc facilius pelli, quam alibi, venasque has hoc modo vel dilatat, ut ſanguinem nimium transmittant; vel eas plane disrumpit: quemadmodum STAHLIVS illud variis in ſcriptis ſuis eleganter explicat. Ita & nemo *ictteri* rationem recte intelligit, niſi cui huius venæ cum poris biliariis communicatio, adeoque hepatis intimior fabrica bene perſpecta eſt. Tota *nervorum cerebri per thoracem & abdomen diſtributio*, merito ad ſubtiliorem Anatomen pertinet, ſine qua multa hyſterica & hypochondriaca pamata, inprimis ſtrangulationes ac ſuffocationes, item theaſthma convulſivum & calculi renum ſymptomata varia explicari non poſſunt. Ita *communicatio nervorum ventriculi & inteſtinorum, itemque diaphragmatis, renum & uteri cum nervis cerebri*, explicat, cur tantus ſit harum partium conſenſus, ut, læſa una, patiatur & altera. *Medullæ in oſſibus veſiculoſa ſtructura* per microſcopia detecta, & eius vaſa per eadem, itemque per iniectiones inventa, reſolvunt ſpinæ ventoſæ, itemque flammationum, abſceſſuum & ulcerum in intimis oſſibus ortum, aliaque phænomena; ſive hæc ab interno humorum vitio, ſive a cauſſa externa, ut concuſſa medulla vel oſſibus læſis proveniant, eorumque meliorem medelam ſubminiſtrant. a) *Bubonum venereorum originem* & generationem in glandulis inguinali-

a) Vid. D. PRÆSIDIS chirurgia cap. de *ſpina ventoſa*.

Digitized by Google

nalibus a vaſorum lymphaticorum, quæ COVVPERVS primus delineavit, a membro virili, tanquam parte in coitu impuro primum infecta, ad has glandulas progreſſu, harumque cum pene per hæc lymphatica communicatione, Cl. MORGAGNIVS deducendam eſſe docet: a) quorum ortum alias difficulter intelligeremus. Ita quomodo *hoc contagium per foramicula in urethra* ſuſcipi & a ſanguine per hæc recipi poſſit, haud pridem Cl. PRÆSES iniectionibus mercurialibus in venas penis ſatis indicavit. b) *Qui humorum in oculis ſitum*, præſertim cryſtallini non accurate novit, ſed VESALII aliorumque, qui cum eo ſentiunt, figuras de iis ſequitur, variorum oculi morbos, & præſertim cataractas & glaucomata neque recte cognoſcere, neque recte diſtinguere valet. *Laminarum oſſearum, quæ collum femoris fragile cingunt, tenuitas*, docet, quare collum huius oſſis, ceteroquin adeo robuſti, ſæpius, quam vulgo olim creditum eſt, frangatur: cuius vero rei cognitio haud levi cadaveris inſpectione, ſed accuratiori oſſium examine, cognoſcitur. *Lienis ſitus naturalis* in parte hypochondrii poſteriori docet, tumores, qui quandoque in anteriori hypochondrii ſiniſtri parte tactu percipiuntur, non a liene, ut a multis, anatomes ignaris, male creditur, provenire: quia coſtis, ut accuratior inſpectio docet, a parte poſteriori & laterali; ventriculo vero, a parte anteriori, ita occultatur, ut extus tangi nequeat. Ideoque tumor, qui in Actis Medicis Berolinenſibus c) pro *liene prægrandi tumido, ut ma-*

a) Adverſar. Anatom. IV. p. 41.
b) vid. Compend. anatom. edit. tert. p. 340.
c) vol. I. p. 52.

manibus ab extra *palpari potuerit*, describitur, cum anatome accurata non convenit, aliudque malum subfuisse credo.

XIX.

Cadaverum humanorum morbo extinctorum subtiliorem disquisitionem anatomicam, quam PRACTICAM ANATOMIAM vocare solent, magnum omnino in Medicina habere usum, licet contemtores quidam anatomes proterve id negent, certissimum est. Quot enim morbi accuratiore dissectione cadaverum morbo extinctorum rectius sunt cogniti, meliusque postmodum curati, quorum alias medela vel nulla, vel impossibilis propemodum, videbatur; aut qui minimum propter latentem mali sedem atque naturam, tam bene, ut hodie, non cognoscebantur. Primo nobis exemplo sit *verae & frequentissimae causae cataractae inventio* in cuius notitia & instauratione Cl. PRAESIDI haud nihil debet Respublica Medica; uti videre licet in scriptis eius ad hoc argumentum pertinentibus. Plurimi enim, imo omnes haud adeo pridem cum veteribus adhuc in ea erant persuasione, ac si lentis crystallinae obscuratio rarissimus esset morbus atque cataractam non constitueret; pelliculae contra vel corpora peregrina, in humore aqueo eandem obnubilantia, saepius invenirentur. Contrariam tamen, sua aliorumque praestantissimorum virorum experientia fultus, contra adversarios evicit sententiam: assentiente Academia Parisiensi, omnibusque iis, quibus animus à praeiudicatis opinionibus liber est. *Apoplexias* sanguineas & serosas, ortum plerumque trahere à

disru-

diſruptis vaſis ſanguiferis aut ſeroſis minoribus intra calvariam, accuratior cadaverum his morbis defunctorum docuit diſſectio: a) ut propterea Medicus meliores nunc formare indicationes melioremque curandi methodum inſtituere poſſit. *Herniarum* magnam diverſitatem veramque naturam Anatomiæ quoque debemus ſubtiliori in cadaveribus herniosis inſtitutæ: ſine qua impoſſibile fuiſſet herniarum vera diſcrimina cognoſcere aut invenire, atque de vera diverſaque earum curandi methodo recte cogitare: quarum tamen quælibet diverſitas, diverſam curandi requirit methodum; cum Anatomes ignari aut empirici una eademque ratione eas aggrediantur, Anatomesque profecto imperiti difficiliores herniarum ſpecies nunquam recte vel cognoſcent vel curabunt. Qua de re uberius confer. Cl. PRÆSIDIS, itemque GARENGOTI chirurgia. Peculiarem adhuc & novam in cadavere vidit ac deſcripſit LITTRIVS in Acad. Reg. Scient. An. 1700: ubi non integer canalis inteſtini ilei, ſed iſte tantummodo eius paries, meſenterio oppoſitus, prociderat, qui ſaccum formarat cœcum ſive diverticulum, per proceſſum peritonæi ad ſcortum usque protenſum: quales etiam a MORGAGNIO b) aliisque obſervati leguntur. Diſſectio hæc cadaverum *veſicam poſſe quoque prolabi & herniam conſtituere*, Anatomicos docuit: obſervante enim MERIO, in Acad. Reg. Scient. 1713, eadem per annulum muſculi abdominis usque ad

a) vid. WEPFERVS de Apoplexia, LANCISIVS de morbis ſubitaneis, aliique.

b) Adverſar. Anatom. III. pag. 8.

ad ſcrotum, quod incredibile fere videtur, deſcenderat, quo preſſo urina per penem effluebat. Ita & herniæ, *crurales* dictæ, ſectionibus cadaverum recens detectæ curationesque novæ hoc modo inventæ ſunt: aliæque ab aliis adhuc deſcriptæ & notatæ ſunt herniæ, Cl. STAHLIVS refert exempla, a) ubi *vaſa meſeraica* in cadaveribus plus ſemel adeo craſſa reperta fuere, ut inteſtinorum veriſimilitudinem induxerint: atque ex GVARINONIO refert, hunc ſæpe numero in hypochondriacis meſenterii venas obſtructas reperiſſe, ut inteſtinorum potius, quam venarum, ſpeciem præ ſe habuerint. Sic quoque VESALIVS ramum hæmorrhoidalem pollicis craſſitie diſtentum memorat. Ex quibus patet, qualem lucem eiusmodi ex cadaveribus deſumtæ obſervationes, non ſolum in morborum venæ portæ, quorum quamplurimi ſunt, cauſſis rite cognoſcendis, verum etiam in eorum cura melius inſtituenda afferant: ita, ut ratione carere videatur, qui utilitatem ex his ſectionibus capiendam negare prorſus velit. SPIGELIVS præterea, qui multos *colica* defunctos ſecuit, teſtatur, *ſe neminem colica defunctum ſecuiſſe, in quo inteſtina non deprehenderit inflammata.* Quæ obſervatio profecto multum lucis præbet in curatione colicæ: ne ſcilicet medicamentis calefacientibus, oleis, aut ſpiritibus aromaticis, aut ſimilibus, quibus inflammatio augeretur, tractetur; verum potius temperantibus, reſolventibus, diluentibus, ſicut aliæ inflammationes, imo ipſa venæſectione, ſine qua methodo multi ſane ægrorum

a) in diſſ. de hypochondriaco & hyſterico malo, pag. 20.

pereunt. Tumores nonnullos, qui pro *uteri ipsius prolapsu* habiti fuerunt, excrescentias sæpe vaginæ esse, sectio cadaveris docuit MEKRENIVM, sicut ex ipsius observationibus videre est: quo ipso methodus hæc mala per ligaturam auferendi nobis indicatur. Rupturam œsophagi in homine vivo quis credidisset, nisi Cl. BOERHAAVIVS a) & PRAESES b) sectione cadaverum hunc morbum observassent? ubi & laudatus BOERHAAVIVS signa, quibus hic morbus, homine vivo, certe cognosci posset a Medico, describit. Quis *vermes* intestina humana perforare putasset, nisi itidem cadaverum incisione illud deprehensum fuisset? c) *Luxationes ossis femoris* cum acetabulo non adeo esse frequentes, ut olim putarunt, accuratior inquisitio anatomica in cadaveribus hoc morbo defunctis docuit: qua evictum est, morbum illum femoris, qui vi externa ortus, in femore pro luxatione plerumque habitus fuit, sæpissime fracturam colli femoris esse; vid. hac de re Cl. PRAESIDIS Chirurgiæ cap. de fractura & luxatione ossis femoris. *Tumores nonnullos magnos in externa thoracis parte*, haud adeo pridem a laudato PRAESIDE observatos, & in Annalibus Academiæ Juliæ superiori anno delineatos, nemo forte Anatomes imperitus pro aneurismatibus arteriæ aortæ habuisset, nisi sectione cadaverum id patefactum fuisset: quibus docemur, ne temeraria aut noxia curatio in eiusmodi curationibus suscipiatur. Si enim eiusmodi tumor pro abscessu, cum quo multam habet simili-

tu-

a) in peculiari libello, qui inscribitur: *Historia morbi atrocis* &c.
b) in novissimis Act. Med. Phys. Acad. Nat. Cur. Vol. I. pag. 392.
c) ibidem pag. 391.

litudinem, scalpello aperiretur, mors sine dubio brevi sequeretur: quod vero sectione eiusmodi cadaverum cavere discunt cautiores practici. Ita *vesica* diverticulis aliquando instructa, qualis superiori anno hic Helmstadii a PRÆSIDE reperta est, docuit, quare quandoque calculi vesicæ in his delitescentes, in operatione extrahi nequeant. Taceo nunc, quod *hydropum* varias constitutiones, *polypos cordis, calculos renum & vesicæ, effusiones sanguinis* in *cranio* post plagas externas, itemque *empyematum*, aliorumque morborum internorum veram notitiam atque cognitionem Anatomiæ cadaverum maxime debeamus, sine qua multos morbos nondum rite intelligeremus, eorumque medelam, quam hodie ipsis cum successu adhibemus, adhuc nesciremus: quæ abunde anatomes huius in Medicina necessitatem comprobare mihi videntur, eaque de re pluribus videri potest BONETI sepulchretum.

XX.

Vidimus hactenus, quantum Anatomiæ subtilioris studium contribuerit tam ad intelligendas rite corporis nostri functiones naturales, quam etiam earundem statum morbosum: nunc autem considerabimus, quantum omnino etiam prosit, ut statum hunc morbosum in naturalem eo felicius transmutare possimus, sive, ut clarius me explicem, *quantum in* PRAXI MEDICA sive *curatione morborum conferat.* Hoc enim est, quod ignari & osores scientiæ anatomicæ quam maxime negant, eamque propterea potissimum reiiciunt atque contemnunt. Natura sane *mali hypochondriaci* morborumque affinium in *vena portæ nidulantium*, ut supra iam probavimus, per subtilem Anato-

men melius detecta, nunc longe rectius faciliusque curantur, quam ante aliquot tempus: ita, ut iam non occurrant tot hypochondriaci quam olim. Considerata enim rectius a recentioribus & cum primis a Cl. STAHLIO venæ portæ structura, quæ obstructioni suscipiendæ vel saltem impedimento sanguini per hepar concitando admodum prona est, sole meridiano clarius est, proscribenda hic esse multa inutilia, imo noxia pharmaca, quæ olim, ob non intellectam caussam & sedem, non solum sine fructu, verum potius magno cum ægrotantium damno exhibuerant: qualia erant *purgantia fortiora, emetica, terrea, absorbentia, martialia*, quæ acidum, quod tanquam caussa huius mali celebratur, absorbere ac tollere debebant; quibus vero plerumque nihil aliud efficiebant, quam ut ventriculum vehementer læderent. Alii medicamenta tantum opponebant *carminativa, spirituosa calidiora, æstum inducentia:* quia putabant, morbum a pituita frigida ac flatibus provenire; quibus vero sanguinis particulas superstites mobiles dissipabant, reliquum adhuc magis inspissabant ac coagulabant, imo ad inflammatoriam sæpe stasin disponebant; cum e contrario, si caussam melius cognovissent, facile didicissent, quod hic melius, cum diæta parca, prosint medicamina salina, blanda incidentia, resolventia, diluentia, una cum corporis motu leniore, æquali, frequenti, ut eo melius in actum reducatur id, quod stagnat, motumque solitum & debitum iterum recipiat. Imo quoniam ob vasa venæ portæ nimis distenta (§. XIX) dolores sive spasmodicæ eorundem contractiones plerum-

rumque coniunctæ ſunt, laudem ſuam merentur antiſpasmodica, caſtoreata, cinnabarina, quibus venæſectio ad partem ſanguinis nimii, præſertim in plethoricis, aut qui lauta diæta utuntur, educendum, utiliter adiungenda. Vbi autem animadvertimus, ſanguinem ſolitum fuiſſe excerni ex venæ portæ ramis vel per anum, ventriculum, aliasve vias, nunc autem eiusdem fluxum eſſe interceptum, doloresque & mala procreare pectoris, capitis, renum, uteri, dolores arthriticos vel podagricos & inteſtinorum, colicam, ſtrangulationem hyſtericam &c. &c. tunc ſane concludimus, his morbis directe medicinam non eſſe parandam, quoniam ſunt tantummodo ſymptomata cauſſæ; cauſſam autem primo tollendam eſſe, qua ſublata, obmuteſcent omnia ſymptomata. Eſt autem prædictorum malorum cauſſa plerumque plethora, oriens ex intercepta ea ſanguinis portione, quæ alias ex corpore noſtro abire conſueverat. Revocandæ itaque ſunt ſolemnes iſtæ hæmorrhagiæ, ſi tuto & absque ſanitatis incommodo fieri poteſt. Quod autem ſi ex voto noſtro non ſuccedat, aut periculum ex revocatione eius timendum, ad revulſiones cruentas confugiendum erit. &c. Quomodo *Democritus*, ſive, ut verum eius nomen eſt, *Dippelius*, ex hypotheſi ſua *de febribus intermittentibus* ſupra (§. XII) relata, curationem feliciter inſtituat, in libello eius ſæpius citato videri poteſt. *Vteri muſculoſa fabrica & Ruyſchianus* in fundo uteri *muſculus orbicularis*, non tantum egregie ſecundinarum excluſionem promovent; verum etiam *Ruyſchius* propterea ſuſtinet, extractionem

nem ſecundinarum violentam, quam ſæpe tentent obſtetricantes, non tantummodo non eſſe neceſſariam, ſed etiam periculoſiſſimam: dum non tantum puerperis atrociſſimos ſæpe crearent dolores; verum etiam quandoque hæmorrhagias fatales, ulcera uteri, eiusdem inverſionem & ſæpiſſime mortem concitarent. Quot errores ex *ignorata ſtructura uteri* in curatione multorum eius morborum orti ſint, Celeb. Frid. HOFFMANNVS peculiari diſſertatione a) non ſolum indicauit; verum etiam quomodo ex bene cognita eius fabrica morbi illius melius curandi ſint, multis gravibusque rationibus erudite oſtendit: quæ tota, ut hic legatur, quam maxime meretur. Quid ſpeciatim *uteri cum inteſtino recto* connexionis notitia in menſibus, fœtu mortuo, ac ſecundinis per clyſteres & ſuppoſitoria acria pellendis ſæpe proſit, itemque inteſtini recti cum veſica connexio *in calculo* huius explorando atque excidendo, iam dudum multi agnoverunt, atque laudaverunt Medici Clinici. *Situs ac nexus inteſtini Coli cum renibus* docuerunt utilitatem clyſterum emollientium & anodynorum in calculo renibus aut ureteribus impacto. *Valvulæ coli* natura docet Medicos, quod enemata in vulneribus inteſtinorum craſſorum noceant, in tenuium vero proſint: itemque quod ex craſſis enemata ad tenuia inteſtina pervenire non poſſint. *Vaſa lactea* inteſtinis tenuibus non unice eſſe propria, ſed etiam craſſis, quamvis minori numero, appoſita conſtat: ex quorum vaſorum lacteorum in craſſis præſentia multis ægrotantibus

a) de ignorata uteri ſtructura multorum in Medicina errorum fonte.

tibus non parum ſolaminis evenire poteſt, qui graviſſimas ob cauſſas deglutire nequeunt alimenta: his enim in caſibus omnino aliquid nutrientibus clysmatibus effici poſſe non modo varii notarunt auctores, verum etiam in Hiſtor. Acad. Reg. Pariſinæ fauſta exempla haud adeo pridem deſcripſerunt. Subtilis eſt ſcientia anatomica *venarum cutis cranii cum ſinu longitudinali* duræ matris per parva foraminula in oſſibus parietalibus, itemque *venarum occipitalium* connexionem & communicationem noſſe cum utroque ſinu laterali intra cranium, quam anatomicorum hoſtes ne attentione quidem dignam eſſe iudicant. Interim tamen hæc notitia uſu practico non caret: dum harum venarum inciſio vel profundior eo in loco ſcarificatio in morbis cerebri ſanguineis, ſpeciatim apoplexia, aliisque ſoporoſis morbis maximi eſt momenti & utilitatis; uti Cl. MORGAGNIVS nobis eſt autor, exemploque *Zacuti* LVSITANI confirmat, qui deſperatam apoplexiam feliciter hoc modo curaverat. a) Quis primo intuitu credet, *tunicæ corneæ paullo minorem* vel *maiorem convexitatem* aut planitiem tanti ad viſum perfectum eſſe momenti? interim tamen, qui eius naturalem ſtructuram & ab hac receſſus non novit, non tam prompte morbos ab huius figura pendentes cognoſcet aut curabit. Planior enim prædictæ tunicæ corneæ figura luminis radios non ſatis colligit; unde pauciores radii attingunt tunicam retinam. Cornea autem convexior radios magis cogit, atque in retina recte colliget. Quando vero nimis con-

a) Adverſar. anatom. VI. p. 108.

convexa, nimis cito radios colligit, ita ut focus retinam non attingat, unde vitium visus priori contrarium oritur, atque ex his una ratio myopum & senum visus intelligitur. a) Senum enim cornea nimis est plana; hinc radios non satis cito cogit, adeoque iis medetur vitro convexo & lenticulari radios magis colligente. Myopes autem, quorum cornea iusto est convexior, opus habent vitro concavo, quod luminis radios nimis convergentes magis dispergat, & efficiat, ne radii eorumque focus confundatur, aut brevior fiat, quam qui tunicam retinam apte attingere possit. Denique ad utilitatem subtilioris Anatomiæ in praxi probandam, peculiare adhuc quoddam emolumentum addere liceat. Notum sane est, impossibile prorsus esse *surdos ab incunabulis vel etiam mutos* medicamentis eo perducere, ut intelligant, ut audiant vel loquantur: id tamen subtilissima partium loquelæ dicatarum cognitione anatomica effecit, Cl. J. C. AMMANNVS, b) ut surdos natos loqui doceret. Non novi, qui in hac arte AMMANNVM sequutus fuerit: nulla forsan alia causa, quam rei difficultate perterriti. Interim cum hic vir exemplis demonstraverit, hanc surdis medendi methodum succedere, optandum esset, ut adhuc hodie essent, qui operam darent, ut, si non mutos, tamen balbutientes, loqui docerent.

XXI.

Anatomes autem subtilioris necessitas nusquam mani-

a) BOERHAV. Instit. Medic. N. 537.
b) libro de loquela & surdo audiente.

manifeſtius deprehenditur *quam in negotiis, ubi Magiſtratus vel Iureconſulti Medicorum requirunt iudicia in caſibus forenſibus:* ubi nullus innoxie admittitur error, qui non in præiudicium aut noxam iis, quorum intereſt, cedat; aut iuſtitiam, imo præcepta divina lædat. Si enim Medicus vulnerantem, ſive homicidam, qui vulnus lethale inflixit mortuo, temere, vel ob ignorantiam abſolvit, & a mortis pœna, vulnus lethale pro non lethali habendo, liberat, graviter peccat in præcepta divina, cum Deus eiusmodi homicidas vita puniri vult. Longe vero adhuc gravius delinquit, ſi vulnus ſanabile pronunciat lethale, atque ſic innocens, ut vita privetur, in cauſſa eſt. Quæ ergo ſola ratio, ſi aliæ deeſſent, ſufficere poſſet, ut Anatomiam, *ſine cuius exquiſitiore notitia omne iudicium*, teſte doctiſſimo BOHNIO a) aliisque graviſſimis viris, *temere inſtituitur*, omnes iuniores aut futuri Medici diſcant, & quovis modo emendandam ſuſcipiant. Nam ſane, in inſpectione cadaverum violenta manu extinctorum, non ſemper eiusmodi partes læſæ ſunt, quæ facile in conſpectum prodeunt, & levi cadaveris cuiusdam inſpectione addiſci poſſunt; ſed quandoque ſubtiliora tantum corporis noſtri organa aut vaſa ſunt læſa, quæ difficulter imo difficillime ſæpe inveniuntur, interea tamen ad vitam maxime neceſſaria, & ex quorum læſione mors ſequi ſolet. Huc omnino maximo iure referenda *nervorum vulnera*, præcæteris autem *paris vagi*, *intercoſtalis* ac *diaphragmatici* diſſectio: quam extemplo mors cita & inopinata

a) De Vulner. renunc. p. §§. 56.

excipere poteſt, licet aperto cadavere hæmorrhagiam nullam notabilem, aut vas aliquod inſignius læſum invenire potueris. Vnde ergo mortuus eſt vulneratus? quæ cauſſa abſcondita aut occulta qualitas eum interfecit? Anxius ſane hærebit Medicus, qui prædictorum nervorum ignorat: ſitum neſciet, quare æger ſit mortuus, atque vel nihil indicabit, vel falſam mortis cauſſam adducet; atque ſic utroque modo peccabit. Eodem omnino modo ſe res habet cum *ductu thoracico*, cuius vulnera eadem ſequitur fatalis moriendi neceſſitas. Aſt quam difficile absque ſumma anatomica ſcientia inveniatur, vel ex eo patet, quod per tot ſeculorum ſpatium oculos Anatomicorum effugerit & adhuc hodie effugiat, niſi variis enchiriſibus atque accuratiſſimis inquiſitionibus detegatur. Idem iudicium eſto de *vaſis ſanguiferis internarum partium:* ut *arteriæ cœliacæ*, *ſplenicæ*, *epaticæ*, *meſentericæ*, *renalis*, *hæmorrhoidalis* atque *hypogaſtricæ*, ut vaſa maiora iam taceamus, quæ ab Anatomes ſubtilioris ignaris vix inveniuntur: quemadmodum nec *venas* prædictarum partium, nec *ductus biliarios*, hepaticum, cyſticum aut cholidochum, itemque nec *ureteres* læſos aliasve eiusmodi partes deprehendere poterunt. Ita ſi in cerebro poſt læſionem quandam in in hoc vel illo *cerebri ventriculo* vel circa glandulam pinealem ſanguis effuſus eſt, indicare aut deſcribere non poſſunt, quo in ventriculo hæſerit ſanguis, qui Anatomen accuratiorem non excoluerunt. Quam ob cauſſam Cl. Bohnivs *Medicos Anatomes ignaros ad occiſorum vulnera inſpicienda atque de iis deponendis ineptos eſſe iudi-*

iudicat. Quod cum non ſolum ſana ratio quemvis, qui etiam Medicus non eſt, ſatis doceat; & vir hic laudatiſſimus id pluribus evincat, plura de hac re proferre (quod tamen facile nobis eſſet) iam nolumus, & lectorem ad eum remittimus. Interea tamen, cum haud pridem recens quidam Scriptor Anatomen fere in univerſum non ſolum hominum, ſed etiam beſtiarum, inprimis vero ſubtilitates anatomicas in libello Germanico, quem *Decorum Medici* inſcripſit, admodum *indecoro* atque iniquo modo, ſub pietatis licet pallio ac zelo, attamen perquam ignominioſis piosque parum decentibus verbis, tanquam novus quidam PARACELSVS, vel alter *Cornelius* AGRIPPA reiicere atque inutiles prorſus, (adductis nonnullis abſonis, qualia ſupra iam commemoravimus, exemplis) in omnibus Medicinæ partibus pronunciare voluerit; tamen quando ad uſum in Medicina forenſi pervenit, agnoſſe videtur, nos in vulneratorum cadaveribus examinandis ea carere non poſſe; attamen ut ſuam ſemel conceptam pravam ſententiam ſuſtineret atque defenderet, cauſſatur primum, *banc Medicinæ partem ad Medicinam aut Medicum non pertinere.* Quodſi tamen pro more recepto, (quem ineptum eſſe putat) inſpectio atque renunciatio vulneris Medico facienda eſſet, ſententiam quidem ſuam, ut poſſet, dicere aut proferre deberet; ſic tamen, ut, ſi forte quis alius ipſi contradiceret, vel, ut clarius mentem ipſius proponam, ſi quis accuratior Anatomicus talem Medicum, anatomes contemtorem aut ignarum, erroris argueret vel convinceret, ipſi non eſſe altercandum, ſed tacendum, remque,

quæ per ſe litibus valde eſſet obnoxia, relinquendam eſſe. Verum adhæc reſpondemus, quod Autor ille videatur ignorare exquiſito Medico duplici officio fungendum eſſe, altero ſcilicet *Clinico;* altero, *Forenſi:* quemadmodum præter multos alios egregios viros doct. BOHNIVS ſolidiſſime demonſtravit. a) Deinde quæro, ad quem officium inſpiendi vulnera rectius pertinere exiſtimet, quam ad Medicos? A Theologis enim aut ICtis, opinor, deſiderari recte nequit, ut tam exactam, quam Medici Anatomes habeant notitiam; multo minus, ut hi ſciant, quænam vulnera curari queant, quænam vero inſanabilia ſint aut lethifera. Medicorum vero officium eſt de curandis & non curandis morbis recte prudenterque iudicare poſſe; adeoque & de vulneribus. Neque perinde eſt in re adeo gravi, ut Autor docere videtur, quomodo quis reſpondeat aut iudicet. Præterea cum in vulneribus non modo partes aut vaſa magna lædantur; verum etiam parva, & quidem ſæpe talia, quæ ſine laboriosa, accurata & ſubtili Anatome, ut ſupra iam dictum eſt, in occiſi cadavere reperiri non poſſunt; ſubtilioris vero Anatomes notitia ab aliis, quam à Medicis nullo pacto exigi poſſit; hinc manifeſtum eſt, non ſolum inſpectionem cadaverum vulneratorum competere Medicis; *verum etiam a veris & genuinis Medicis neceſſario requiri, ut* hanc ob cauſam *Anatomen quoque ſubtiliorem calleant:* ne in negotio adeo difficili, ubi de vita humana atque de nocente vel puniendo, vel innocente abſolvendo, agitur, facile errent, & ob igno-

a) Lib. de offic. medici dupl. clinico & forenſi.

ignorantiam huius Anatomes ſubtilioris perverſa relatione aut ſententia vulnus lethale pro non lethali habendo, nocentes & ſceleratos a pœna, quam Deus ipſe nefando tali homicidio dictavit, abſolvant; vel vulnus leve pro lethali pronunciando, innocentem morti violentæ tradant, atque ſic eos vita privent. Quod utrumque etiam vitium committi poteſt, ſi Medici Anatomes ignari falſis mutatisve nominibus vaſa aut partes læſas in relationibus ſuis appellent: ut, ſi arteriam tibialem, cruralem; cruralem vero tibialem, itemque cubitalem, brachialem nominent, ac vice verſa &c. Vnde Iudices falſa tali Anatomes imperiti Medici relatione ad ſiniſtram dicendam ſententiam, vel in abſolutionem nocentium, vel quod adhuc longe peius, in condemnationem & pœnam capitis innocentium, inviti & inſcii ab idiotis eiusmodi deducuntur. Vnde ſatis conſtat, *nullum Medicum, ſalva conſcientia ſalvoque honore, Anatomes ſubtilioris ſcientia*, quicquid etiam ignari nonnulli vanis, abſonis, fereque futilibus ſuis argumentis (licet imperitis prima fronte ſpecioſa appareant) obiicere allaborent, *carere poſſe:* atque ſimul liquet, quid de reliquis inanibus huius viri argumentis contra Anatomen hominum ac beſtiarum, in univerſum, atque nominatim contra *conſervationem partium* corporis humani variis artibus præparatarum, (quas præparationes *inutilem pompam*, *& luſus pueriles* vocare non erubeſcit) ex pietatis, ut videtur, affectatæ aut religionis præpoſtero zelo, quo terræ mortuos omnesque earum partes neceſſario mandandos eſſe vult, in medium prolatis

ſit iudicandum; cum vel ſolius *ſceleti humani* in fracturis, luxationibus, aliisque variis morbis, utilitas atque neceſſitas ea refellunt; quia oſſium humanorum cognitio, optimaque eis medendi methodus absque oſſibus præparatis, id eſt, ſine ſceleto, quemadmodum ex infra dicendis uberius patebit, addiſci recte nequit. Præterea cum omnes cultiores prudentioresque totius Europæ gentes, Imperatores, Reges, Principes atque Respublicæ ingentem hanc utilitatem & neceſſitatem anatomes, tam in hoc negotio, Medicina ſcilicet forenſi, quam in Medicina reliqua, præſertim Chirurgia, imo etiam Theologia cognoverint, atque hunc in finem non ſolum Doctores & Profeſſores ad eam publice docendam conſtituerint, atque idonea theatra anatomica magnis ſæpe ſumtibus exſtruxerint: mirum eſt, quod hinc inde adhuc aliqui reperiantur, qui ſanæ rationi atque experientiæ, itemque tot tantorumque Principum, Rerum Publicarum, virorumque doctiſſimorum auctoritati adhuc oblatrare, eorumque ſaluberrima inſtituta dente Theonino rodere, carpere, contemnere, imo prorſus reiicere audent.

XXII.

Nondum autem in cadaverum inſpectione ſufficere puto, noſſe partium corporis humani ad vitam neceſſariarum ſitum, nomen, fabricam & officium; *ſed requiruntur etiam peculiares quædam encheireſes inveniendi & detegendi partes multas vulneribus læſas*, quæ tam facile profecto iis in oculos non incurrunt, qui in Anatome ſubtiliori non exercitati ſunt & *unica* tantum cadaveris inſpectione, quicquid ſciunt, cum

Dip-

DIPPELIO didicerunt, ii, credo, nobis facile concedent, quibus olim negotium faceſſit læſæ cuiusdam partis, aut vaſis ſubtilioris aut abſconditi revelatio. Notum admodum, & omnibus, qui aliquamdiu Anatomco ſtudio ſe dederunt, puto, perſpectum erit, quam difficulter *ductus thoracicus* detegatur aut inveniatur in homine. Interea tamen, ubi læſus præſumitur, opus eſt, ut indagetur, atque reperiatur, quo de læſione eius certi ſimus. Deſcripſit hunc in finem Cel. SALTZMANNVS methodum eum inveniendi; aliam, HENNINGERVS; aliam, vero cl. PRÆSES, quæ omnes in eius compendio a) legi poſſunt; aliam vero adhuc nuper cl. SCHVLTZIVS, Præſidis in theatro anatomico Altorfino ſucceſſor digniſſimus. b) Nulla vero harum methodorum iis ſuccedet, qui in Anatome ſubtiliori haud exercitati aut eius prorſus ignari ſunt: propter exilitatem ſubtilemque admodum fabricam tenerrimi & pellucidi propemodum huius vaſis, quod facile admodum collabitur ſeque abſcondit, ut ſatis exercitatorum ſæpius Anatomicorum peritas eludat manus & oculos. Eodem propemodum modo ſe res habet cum *vaſis ſanguiferis, præſertim internis*, iisque paullo minoribus, lethalibus tamen, læſis. Ponamus ex. gr. poſt vulnerationem abdominis aut thoracis quendam eſſe mortuum, tunc facile admodum fieri poteſt, ut aperto cadavere ſanguinis quidem effuſi copia in conſpectum veniat; porta autem, per quam prorupit, illorum oculos effugiat,

a) Cap. de ductu thoracico.
b) In Act. Med. phyſ. Natur. Curioſ. vol. 1. pag. 500.

at, qui encheireſes, quomodo vulnus illud detegendum ſit, ignorant. Quoniam autem in relationibus Magiſtratui offerendis non ſufficit dixiſſe, ſanguinem fuiſſe effuſum, aut vas quoddam inſignius læſum; ſed ad accuratam relationem, quo alii tanto melius de vulneris natura iudicare queant, requiritur, ut, quodnam ſpeciatim vas, quæ vena aut arteria ſit læſa, indicemus. Ergo modus bene eſt ſciendus, quo in ſimilibus caſibus pars aut locus vulneris ſit detegendus; id quod profecto ab iis, qui rudes ſunt in Anatome ſubtili, vix obtinebitur. Si itaque *in abdominis eiusmodi vulnere* vas læſum, poſt diligentem inſpectionem, non deprehendatur, purgato prius, quantum fieri poteſt, a ſanguine reſiduo abdomine, ac deinde aperto prius thorace, flatus, aut ſi mavis, liquidum aliquod, facta prius apertura, arteriæ aortæ deſcendenti impellendum: quo facto, ſi nuſquam in abdomine prorumpere videmus flatum aut liquidum immiſſum, certe concludere poſſumus, nullam arteriam in ventre eſſe læſam. Ergo aliorſum dirigenda eſt noſtra induſtria, ut indagetur an vena quædam, & qualis & ubi ſit vulnerata: ſimilique ratione per ventriculum cordis dextrum in venæ cavæ deſcendentis truncum inquiſitio inſtituenda. Vbi autem nec in huius ramis vulnus detegi poteſt, ad venam portæ progrediendum atque eodem modo experimentum tentandum eſt: ita neceſſarium eſt, ut in uno horum vaſorum, vel pluribus ſimul non ſolum læſio, verum etiam qualis & quanta ſit, detegatur. Simili fere ratione procedendum, *ſi in thorace vulnus eſt:* ubi aperto thorace flatum aut li-

qui-

quidum per aortam ex abdomine verſus thoracem, aut ſi in aorta eiusve ramis in thorace iniectum fluidum non prorumpat, in venæ cavæ truncum inferiorem verſus cor iniectionem tentamus: ita locus, ubi vulnus eſt, apparebit. Quando vero *pulmones vulnerati*, ſcireque volumus, utrum bronchia, arteria aut vena pulmonalis ſauciata ſint, nunc in bronchia, poſtea in arteriam pulmonalem, denique in venam pulmonalem iniectio fiat: ita quænam horum vaſorum & ubi læſa ſint, manifeſtabitur. Quod imprimis etiam omnibus his in caſibus belle apparet, ſi cavo thoracis vel abdominis aqua prius impleto, flatum in hæc vaſa impellas: ita enim bullulæ, flatu eo in loco excitatæ, elevabuntur, ubi vulnus in pulmonibus vel vaſis. Ita ſi quis *ex hæmorrhagia vulneris colli obiit*, ut ſcias arteria colli carotis, an vena iugularis læſa ſit, ex thorace flatum modo in venam cavam aſcendentem prope cor, modo in truncum aortæ, compreſſa eius parte deſcendente, impellas: ita quid læſum ſit, facile invenies; quod vero rudes in Anatome reperire non poterunt. *Si hepar vulneratum aut perfoſſum*, ut cognoſcamus, utrum rami venæ portæ aut cavæ, an ductus biliarii, aut variæ hæ partes ſimul laceratæ ſint; nunc per truncum portæ, nunc cavæ, ac denique ductus hepatici flatus aut liquidum immittendum erit, ita patebit, per cuius ramos iniectum prorumpat. *Si in artubus vulnus* eſt, vel in arterias aut venas ſubclavias, vel in iliacas aut crurales aërem aut liquidum iniicito: ita cognoſces vena an arteria inciſa ſit. Ita mutatis mutandis experto facile erit locum læſum deprehendere,

qui ignaris difficilis est aut impossibilis. Maiorem adhuc industriam requirit *nervus quidem dissectus:* quippe qui non tantum corpus est subtile admodum, verum nullius etiam flatus aut fluidi arte immittendi capax. Si itaque e. g. quis ex thoracis aut colli vulnere moritur, tamen nullum sanguinis profluvium aut vasis maioris læsio deprehenditur, tunc nervum aut intercostalem aut vagum discissum esse suspicamur. Huius rei ut certiores fiamus, curiose in collo ac thorace investigandus est hic nervus: quem ubi inveneris, secundum huius ductum cautissime reliquum eius corpus prosequendum, & sic læsio eiusdem deprehendi poterit, quod de reliquis etiam nervis valeat. Sic aliæ corporis humani partes æque ac nominatæ accuratam non solum notitiam, verum etiam inveniendi modum requirunt, de quibus iis, quibus accuratior Anatome non exculta est, ne quidem cogitare ideoque etiam sæpius vulneris veram naturam haud deprehendere solent. Quanto vero hoc fiat damno, iis quibus conscientia curæ cordique est, iudicandum relinquo.

XXIII.

Maxime autem conspicua ac manifesta est subtilioris Anatomiæ utilitas atque necessitas in curis, sive ut vulgo dicunt, OPERATIONIBVS CHIRVRGICIS, rite vel administrandis vel dirigendis. Sane si ignarus quidam Medicus, qui vasorum notabiliorum, imo quandoque etiam minorum, præsertim arteriarum, (nam de maximis nullum, credo, esse dubium) itemque nervorum, tendinum & musculorum situm, aut etiam

iam internarum multarum partium conſtitutionem verumque ſitum v. g. veſicæ, ignorat, quomodo morbos chirurgicos curabit & operationes neceſſarias perficiet. Aut, ſi etiam operationes perficere nolit; & tamen in operationibus chirurgicis, chirurgis pariter in Anatome hoſpitibus, ſicut plerique eſſe ſolent, adſtare debet, atque conſilio non ſolum ſed etiam ipſa manuum opera, ſicuti in periculoſis caſibus Medicum decet, ipſi ſuccurrere debet, præſertim ſi operatio quædam difficilis, magnique momenti, vel levior etiam, attamen in loco quodam periculoſo inſtituenda, ubi facile magna vaſa aliæve partes læduntur, a quarum læſione vel mors, vel ſaltem ingens periculum, magnum damnum, aut notabile quoddam functionis cuiusdam detrimentum induceretur: ut ſi trepanatio inſtituenda, abſceſſus circa vaſa cruralia, axillaria, ſubclavia, temporalia, carotides &c. aperiendus, tumor vel ſcirrhus iisdem in locis extirpandus, vulnus in periculoſa loco ſcalpello dilatandum, calculi ſectio, thoracis paracentheſis, cataractæ ſubmerſio, hypopii aut fiſtulæ lachrymalis curatio &c. perficienda, chirurgusque in opere ſuo erret, atque pergere vel non audeat, vel non poſſit, quemadmodum Bohnivs a) aliique narrant exempla; quomodo ab imperitis talibus Medicis Anatomen & Chirurgiam ignorantibus duci, aut conſilio vel opera ſuccurri poterit, ſi ipſe Anatomiam neſciat? quomodo operationem continuabunt aut perficient, ſi ignorat quid ſecandum, quid evitandum, ſi ignorat, ubi periculum & ubi nul-

a) de vulner. lethal. p. 62.

Digitized by Google

lum adeſt periculum? an non cæcus cæcum ducet, & ambo in foveam incident? An non ægros tales ſua ignorantia ſæpe interficient? An non multi ægri ſic peribunt, qui ſervari potuiſſent: ſicut multis obſervationibus & exemplis adſcribere facile poſſemus, niſi omnes emunctioris naſi homines ac genuini Medici de ſententia noſtra ſatis eſſent perſuaſi, nosque eam ob rationem prolixitatis evitandæ cauſſa iis recenſendis ſuperſedere malimus; præſertim quoniam obſervatorum libri iam pleni ſunt atque toto die hinc inde adhuc triſtia talia annotantur: & tamen tales Medici non verentur videri & haberi *Chirurgorum Domini*, *Imperatores*, *Rectores* &c. a quorum iuſſu, ductu & imperio Chirurgos unice dependere deſiderant, imo dedecori etiam ſibi ducunt aut pro iniuria habent, ſi quis eis Anatomes & Chirurgiæ ignorantiam exprobrare eosve Chirurgis minus peritos appellare velit: cum tamen Anatomen ita contemnant, & inutilem pronuncient. Quis vero non videt talium Medicorum ineptias doctrinamque generi humano perniciosiſſimam. Sed audire mihi videor nonnullos obloquentes atque perhibentes, *ſe Medicos eſſe atque curam ſolum morborum habere, quæ diæta & medicamentis ſanantur;* chirurgicorum vero curam Chirurgis competere, atque ad ſe non ſpectare: adeoque hi operam dent, ut, quid ipſis ſcire competat, probe diſcant ſciantque. Verum hi ignorant, *quod Medicina ars ſit ſanitatem hominis & conſervandi & reſtituendi*: ſive ſanitas diæta, medicamentis aut manuum inſtrumentorumque opera recuperanda ſit; id eſt, Medicina ea

ars

ars est, quæ omnium morborum curationi destinata, adeoque qui Doctor Medicinæ aut Medicus esse vult, omnium morborum, cum internorum, tum externorum, scientiam habere, eorumque curationem intelligere debet; alias dimidius quasi tantum Medicus est, & non genuinus HIPPOCRATIS filius. Nam apud hunc, HOMERVM, PAVLLVM, aliosque veteres Græcos ἰατρὸς, & apud CELSVM *Medicus*, semper & Medicum & Chirurgum simul significat, atque utriusque & Medicinæ & Chirurgiæ scientia in uno requirebatur artifice, nimirum Medico. Eo ipso autem imperiti illi Medici, quantum a prisca illa Medicinæ ac Medicorum præstantia recesserint, ostendunt, & quomodo pulcherrimam elegantissimamque Medicinam mutilare atque deformare gestiant: qua de re pluribus legi potest Cl. GOELICKII dissert. *de mutilo Medicinæ corpore per chirurgiam & pharmaciam resarciendo.* Sed ne nos soli hanc in Medico chirurgiæ atque Anatomes necessitatem asseverare credant Anatomes illi contemtores, præsertim cum multi eorum ex STAHLII schola prodierint, vel saltim asseclæ sint, ipsius celeberrimi huius viri sententiam ac verba hic adducam, ut perspiciant atque cognoscant, se Præceptoris ac Magistri sui verba ac mentem non intellexisse vel saltem non sequi, illumque non cum ipsis sed nobiscum consentire. Lubet in testimonium huius nostræ sententiæ adducere dissertationem eius *de Fundamentis Theoriæ Medicæ:* ubi quidem cap. II. *nonnullos subtilitates anatomicas nihil in Medicina* (licet in physica utiles sint) *prodesse primum innuit;* attamen p. 17. claris verbis affirmat, *quod*

hoc fundamento recte accepto, omnino comprehendatur musculorum, nervorum, vasorum, ossium, & tanto magis viscerum, seorsim & inter se mutuo, iuxta varium situm, transitum, contactum, nexum, communicationem &c. anatomica notitia; id quod pag. 18. venæ portæ exemplo illustrat, & tandem ibidem pergit: *ut paucis plurima complectamur, in id utique intentus esse debet, qui Medicæ theoriæ fundamenta iacere, cordi habuerint, ut non solum illa perspicere atque discere meminerit, quæ ad usum tam* MEDICÆ *quam* CHIRVRGICÆ PRAXEOS *vere inserviant, sed etiam, quæ in his rebus ipsis lucem affundere possint.* Si igitur Medico hæc scienda, uti revera sunt, facile apparebit, ipsum, ex ipsa mente & verbis Cl. STAHLII, subtiliori anatomia carere, atque hanc *unica* cadaveris inspectione addisci non posse.

XXIV.

His autem de usu *subtilioris Anatomiæ in Chirurgia* generatim præmissis, specialiora quædam annectere placet; ex quibus abunde patebit, Chirurgum corporis humani partium accurata notitia anatomica minime carere posse, si officio suo rite satisfacere voluerit; idque primo *ex ossium*, postea etiam ex partium mollium *morbis* evincemus. Quod igitur ad ossa attinet, nemo facile negabit, maximi omnino in Chirurgia esse momenti exactam harum partium atque articulationum habere notitiam: quis enim chirurgorum distortum seu luxatum, vel fractum quoddam os in situm naturalem apte & tuto restituere poterit, nisi ossium sciat situm, figuram, magnitudinem,

nem, habitum, connexionem & reliqua. *Coſtas luxationem* quandoque pati notum eſt: quæ vero ut in ſitum priſtinum & naturalem melius redigantur, duo coſtarum capitula in extremitate poſteriore probe attentionem merentur, & quomodo cum proceſſibus vertebrarum transverſis cohæreant. *Luxationes oſſis femoris* non adeo eſſe frequentes, ut olim crediderunt, iam ſupra (XIX) monuimus; verum anatomica accuratiori in eiusmodi cadaveribus pro luxatis habitis, inquiſitione obſervatum eſt, collum femoris ſpongioſum frequentius eſſe fractum, quam caput ex acetabulo luxatum: adeoque, quomodo in curatione eius rectius procedere debeamus, docet, ne in eosdem errores, in quos olim inciderunt, prolabamur: quibus ægri miſerrimi redduntur. Poſſe tamen interdum etiam femur luxari, in primis in eis, quibus ligamenta, teretia dicta, deficiunt, in Celeb. SALTZMANNI diſſertione quadam ſectione obſervatum eſſe indicatur. a) Qui *vertebrarum iuncturas* ignorat, ille in luxatione earum vel nihil efficiet, vel male ægros afficiet, eisque potius nocebit, quam proderit. Idem omnino fieri in *maxillæ & patellæ luxatione* videmus: ubi, ſi ſitus naturalis horum oſſium ignoratur, mire excruciantur & quidem fruſtra & graviter infelices ægrotantes. *Oſſis coccygis luxationem* ab anatomes ignaris neque recte cognoſci, neque recte curari poſſe quilibet rerum gnarus facile intelliget. Vt de ceteris luxationibus iam nihil dicamus, quæ conſenſu Principum Medicorum, ſine accurato in ſceletis & cadaveribus recen-

a) cuius titulus: decas obſervat. illuſtr. anatom. p. 10.

centibus examine recte diiudicari aut sanari nequeunt. *Cranii perforatio* ope modioli instituenda, accuratam requirit cranii notitiam: dum *trepanum*, multis in locis aut plane non, aut tuto tamen imponi nequit: ex. gr. in futuris, præcipue sagittali, cui quippe fortius adhæret dura mater, atque sinus longitudinalis subiacet: quo læso, hæmorrhagia vix compescenda orietur. In coronali tamen, ubi aliter fieri non potest, institui quidem potest, aft summa opus cautione. Eodem modo se res habet in *osse frontis*, cuius præcipue inferior pars propter *sinus frontales*, quorum notitia valde est necessaria, odori inservientes, terebram non patitur. Idem iudicium esto, ubi *maius quoddam vas sanguiferum cranium subit*, propter magnam a læsione eius metuendam hæmorrhagiam. Tandem in cranii perforatione *Medicus & Chirurgus etiam scire debet, diplöen;* quæ in operatione utplurimum se prodit, aut pauciſſimo sanguine vel colore rubello, scobem osseam & terebram tingente. Quoniam vero in omnibus hominibus certisque cranii locis non reperitur, caveat Chirurgus, ne rudius adigat modiolum exspectando diplöen: nam si hæc non adest, nimisque magna vi agit trepanum, facile poterit lethales meningum ac cerebri excitare læsiones. Porro etiam loci, quem perforat, crassitiem sciat Chirurgus, lamellamque cranii vitream sive internam, ad quam usque postquam pervenerit, cautissime in opere procedat, propter eius duritiem, & fragilitatem. Postquam autem in hac operatione remotæ sunt partes duræ, nondum tamen cessat anatomes subtilioris necessitas. Nam

Nam ſi ſanguis aut alius quidam alienus humor, quem evacuare ſtudes, *ſub dura matre hæreat*, noſſe atque attendere omnino debemus arteriarum duræ matris curſum: ne aperiendo hanc membranam vas quoddam inſignius lædamus. *In ozænæ cura*, quæ in ſinu maxillari quandoque oritur, probe notandi ſunt ſinus oſſis maxillaris ſuperioris, ſi in curatione eius rite ac feliciter procedere volumus. Huius vero non tantum inventionem anatomiæ ſubtiliori debemus; verum etiam ipſam curationem. Illa enim edocti ſumus, ut evulſo dente molari ſecundo affecti lateris, in alveolum huius dentis adigatur inſtrumentum acutum, quo alveolus ad ſinum usque prædictum perforetur: ita enim exitus purulentæ materiæ in loco declivi paratur, ac medicamenta mundificantia, balſamica atque conſolidantia iniici poſſunt. Porro qui neſcit, quod oſſa cranii circa tempora, itemque oſſa ſuperiorem orbitæ parietem conficientia, ſint tam tenuia, ille non facile comprehendet, quare læſiones ibi ſæpe tam facile mortem inferant. Denique quod in oſſibus ſubtilis anatome ſcitu ſit neceſſaria, quam maxime docere poteſt, *fiſtulæ lacrymalis*, præſertim inveteratæ, aut quæ peioris moris eſt, curatio: dum in hac pro nova via paranda oſſa unguis decenti modo ita ſunt perforanda, ut poſtea liquidum lacrymale rurſus ad nares libere tranſire queat. An vero hæc curatio ab iis recte fieri poſſit, qui anatomen vel prorſus ignorant, vel ſolum craſſiorem eius obtineant notitiam, prudentibus decidendum relinquo, qui-

bus notum atque perſpectum eſt, quam intricata & difficilis ſit hæc operatio.

XXV.

Quantæ autem in operationibus molliorum corporis humani partium ſcientia anatomica ſubtilior ſit neceſſitatis, exemplis quoque nonnullis iam demonſtrabimus. Harum operationum omnium primo loco nobis nominanda eſt *lithotomiæ adminiſtratio:* quæ profecto, ut omnibus notum, res eſt maximi momenti maximæque artis atque induſtriæ. Antequam vero hæc ipſa adminiſtratur, certi prius eſſe debemus, calculum revera adeſſe; quod vero nulla ratione certius cognoſcimus, quam *catheteris* in veſicam immiſſione: qua operatione etiam *urinæ ſuppreſſione* laborantibus opitulamur. Hæc vero ſane abſque accurata urethræ cognitione anatomica fieri recte nequit in viris, ob ſingularem eius ac tortuoſam inflexionem: ſecundum quam peculiaribus, iisque haud adeo facilibus encheiriſibus in veſicam ſcite demittendus eſt catheter: quemadmodum hæc præ cæteris egregie nobis delineavit ac deſcripſit PRÆSES in Chirurgia ſua, ad quam lectorem brevitatis cauſſa remittimus. Ex huius enim enchiriſeos ignorantia ab imperitis cathetere laceratione urethræ, hæmorrhagiam largam, aliaque gravia ſymptomata producta eſſe idem Dn. PRÆSES aliquoties vidit atque notavit. a) Qui in *fœminis catheterem* immittere vult in veſi-

a) Conſer cel. quondam noſtri Henr. MEIBOMII diſſ. de catheteriſmo.

veſicam, ſi ſubtiliora in Anatome conſiderare haud adſuetus eſt, urethram muliebrem vix inveniet, & vel nihil efficiet, vel doloribus miſere excruciabit ægram. Poſt introductum catheterem, ſi *lithotomia* vel apparatu maiore, vel *Fratris Jacobi* methodo a RAVIO correcta, paragenda, quis credet, eam tuto ſine accurata harum partium, quæ ſecandæ, ſcientia fieri poſſe? cum experientia docuerit, quam horrendas læſiones monachus ille *Iacobus*, ob Anatomes imperitiam, in veſica pertundenda, urethra reſecanda, inteſtino recto & vagina in mulieribus perforanda, concitaverit. Ita quis methodo *Franconica*, aut nova *Douglaſſiana*, calculum e veſica educet, niſi accuratiſſime partium diſſecandarum fabricam noverit: quæ revera ex animalium Anatome addiſci non poteſt, ubi veſica longe alio modo, quam in homine, ſe habet. Ita *perinæi punctura*, aut *calculi ex urethra exciſio*, ſecundum optimam recentiorum methodum, inter urethram & corpus cavernoſum, ſine accurata ſubtilioris Anatomes ſcientia fieri recte nequeunt. *Herniotomiæ* legitima adminiſtratio, pro herniarum diverſitate, æque ac præcedentes magnam omnino requirit ſcientiam ſubtilioris Anatomes. Inguinalem certe, ſpeciatim incarceratam nemo facile ſectione curare poterit, niſi exactam habeat hiatuum ac annulorum abdominis, perque hos tranſeuntium proceſſuum peritonæi cognitionem. Sed hæc nondum ſufficiunt: adſunt etiam, ſi prædictos annulos ſcapello dilatare volueris, venæ & arteriæ epigaſtricæ, quæ omnino in hac dilatatione evitandæ, inciſioque propterea introrſum faci-

enda est versus lineam albam. Alia adhuc inter cæteras est herniæ species, cuius recta diagnosis æque ac cura Anatome subtiliore nititur; hernia scilicet *cruralis*, non adeo diu, nec adeo multis, adhuc satis cognita. Loco potissimum ab *inguinali* hernia distinguitur, qui partim in sceleto, partim in cadaveribus recentibus recte addisci debet: siquidem supra osse pubis levis quædam excavatio invenitur, in qua descendunt processus peritonaei in scrotum, estque hic locus ubi hernia *inguinalis* oritur. Alia autem similis fere impressio conspicitur in osse ilei, supra acetabulo, cui os femoris inarticulatur: hæcque excavatio recipit musculum psoas & iliacum, qui ex abdomine provenientes huic cavitati incumbunt. His musculis superstratæ sunt arteria & vena cruralis, quæ simul cum prædictis musculis abdomen egrediuntur. Musculus porro oblique descendens, ossi ileo accretus, ubi ad supra dictum locum, ubi psoas & iliacus musculus, arteriaque & vena cruralis egrediuntur, pervenit, parvum quasi arcum seu hiatum facit, per quem modo nominati musculi, venæ & arteriæ transeunt. Quoniam vero locus hic debilis est, superneque non nisi fasciam latam & cutem pro munimento habet, facile, si hæc consideramus, concludere licet, hunc locum herniæ non esse ineptum: id quod tamen in fœminis sæpius quam nobilioris sexus hominibus accidit, quemadmodum huius rei rationes prolixius exponit GARENGEOT in sua chirurgia, ad quam lectorem brevitatis caussa remittimus. Cavendum insuper in herniarum harum curatione, ne Chirurgus bubonem inguinalem

eas

eas esse credat, ac scalpello illas aperiat: quia hic error certissimæ mortis periculo exponeret ægrotos, si eorum intestina loco bubonis inciderentur. In herniis itaque his absque summa necessitate ferro porta ad sanitatem non est aperienda, sed semper tutissima via incedendum. Quamobrem ante periculosissimam hanc operationem herniae repositio blanda manu est tentanda: quæ facilior longe redditur harum partium subtiliori & accurata Anatomes peritia. Postquam enim in situm aptum, elevatis paullulum clunibus, positus est æger, Chirurgus prolapsum intestinum aut omentum pari fere ratione, uti in hernia inguinali, reponere tentat; hoc tantum discrimine, ut propter arcus huius situm & conformationem, Chirurgus in hernia crurali tumorem non versus os ilei, uti in herniis inguinalibus aut scrotalibus, premat; sed ab osse ilei versus lineam albam: quæ scientia, licet parvi multis videatur momenti, mire tamen adiuvat felicem intestinorum repositionem. Si autem herniæ huius incarceratio nimis sit pertinax, & post convenientia remedia reponi nequeat, tunc incisione curanda; verum non longitudinali, sed transversa, & quasi horizontali, oblique paullo magis sursum, quam deorsum tendente, cavendo, ne vasa cruralia, præcipue autem arteria, quæ hic secus ac in aliis corporis humani partibus, observante *Cel.* MORGAGNIO a) venæ non subiacet, sed eidem incumbit: qui situs non tantum in supra

a) Adversar. Anatom. II. p. 87.

dicta herniæ operatione & bubonibus, ſed etiam in vulneribus dilatandis & peregrinis ex iisdem eximendis, ſcitu valde eſt neceſſarius. *Cataractæ ſive ſuffuſionis per acum curatio*, ſubtilis profecto eſt operatio, atque ſubtilem etiam minimarum partium oculi requirit notitiam anatomicam: qua non intellecta, nunquam tuto huius morbi curatio inſtitui poteſt. Imprimis vero iridis habenda ratio: quæ ſi lædatur, de viſu plerumque actum eſſe ſolet. *Curatio fiſtulæ lacrymalis* tam veteri quam nova, ſive *Stahliana* ſive *Anelliana* methodo inſtituenda, anatomiam ſubtiliorem absque dubio, imo ſubtiliſſimam, pro fundamento habet: nam, quis, quæſo, niſi ipſi puncta lacrymalia utraque, quæ revera, ut nemo prudens negabit, minima ſubtiliſſimorum ductuum ſunt oſcula, horum progreſſus in ſaccum lacrymalem, curvatura ſacci & ductus lacrymalis, probe perſpecta ſint, quis, inquam, ſine minimarum harum partium accurata notitia, quam Cl. MORGAGNIVS a) ANELLVS b) atque PRÆSESC) optime nobis tradiderunt, poterit in anguſtiſſimas hasce vias ſubtiliſſimum intrudere ſpecillum, huiusque ductu, ut Cl. STAHLIVS fecit d) ſaccum lacrymalem aperire; aut cum ANELLO obſtructum canalem naſalem, ope tenuis ſpecilli reſerare, hocque ad nares usque impellere, atque accedentibus ope ſubtiliſſimi ſiphunculi iniectionibus, morbum curatu alias difficillimum ſanare.

Ha-

a) Adverſ. Anat. I.
b) Nouvelle methode de guerir les fiſtules lacrymales.
c) Diſſert. de fiſtul. lacrymal. & chir. cap. de fiſtul. lacrymal.
d) Programma de fiſtul. lacrymal.

Harum profecto ſubtiliſſimarum partium notitiam hoc in morbo curando ſcitu neceſſariam eſſe, neque ipſi illi STAHLII aſſeclæ, qui alias male de anatomica arte loquuntur, negabunt. Quis ſanguinem vel pus in oculo effuſum, ut in *hypopio*, ſine accurato ſitus tunicæ corneæ & uveæ cognitione, tuto educet? An non unius tunicæ in lamellas reſolutio pro inutili a pluriſque labore in Anatome habetur? Attamen tunicæ corneæ in diverſas lamellas reſolutio docuit, *pus poſſe intra eius lamellas colligi*; quod vero cauta exterioris lamellæ inciſione auferri, viſusque ſæpe ægris, qui alias periret, reſtitui poteſt. Ita eiusdem rei ſcientia ophthalmiatri, in puſtulis corneæ a variolis oriundis, edocti ſunt, ut ſcite lamellam eius exteriorem tollant, ægrisque ſic aciem ſæpe reddant. Non adeo magni momenti videtur operatio *frenuli linguæ nimis arcti*, quod infantibus ſuctionem & poſtmodum loquelam reddit difficilem: interim tamen absque ſubtilis anatomes ſcientia ſine periculo non peragitur. Siquidem qui non attendit ad venas linguæ raninas, præcipue autem nervos linguales, ac ductus ſalivales Warthomianos, qui ſub hoc frenulo ſe in os exonerant, eosdem facile lædet, eoque ipſo ſæpe periculoſa ſymptomata, imo mortem quandoque excitabit. Idem etiam dictum ſit de *ranula linguæ*: hoc tantum diſcrimine, ut hæc operatio maius adhuc præ priore requirat artificium. Sed ulterius examinanda erit ſubtilioris Anatomes utilitas in Chirurgia: ubi quidem nunc nobis ſe offert *vulnus aut tumor genarum*, in quorum cura ductus Stenoniani ratio bene habenda. Deſcen-

ſcendit enim prædictus hic ductus ſalivalis ex parotidibus ſupra maſſeteris & buccinatoris muſculi partem, ultimum hunc perforat & circa ſecundum aut tertium dentem molarem liquorem ſuum ori infundit. Hoc ductu incaute diſciſſo curatu admodum difficilis, imo imperitis plane impoſſibilis, oritur fiſtula, ob magnam ſalivae copiam, quæ ſemper per hunc canalem tranſit: uti novum exemplum proſtat in Hiſt. Acad. Reg. Scient. quod una cum aliis ſimilibus recenſet Cl. PRÆSES a) Si itaque tumor genarum aperiendus, aut alia quædam huius loci ſectio inſtituenda, ob prædictas graves rationes canalis huius læſionem ſtudioſe caveat cautus Chirurgus: verum quomodo cavebit, ſi ſitum eius ignorat. Glandulas *parotides* ſcirrho æque obnoxias eſſe ac alias, nemo facile negabit: interim earum extirpationem, quæ extremum ſæpe remedium, neminem hucusque perfeciſſe novi, excepto Cl. PRÆSIDE. Nullum autem tore credo, qui hanc operationem tuto perficere ſciet, niſi ramorum carotidis inſignium, qui has glandulas ſtipant, ex Anatome ſubtiliori debitam cognitionem habeat. *Tracheotomia*, operatio Chirurgos adeo diffamans, immeritoque feroces eos ignaræ plebi & timendos reddens, ſi verum fateri licet, per ſe adeo periculoſa non eſt: ſi modo Medicus fabricam earum, in quibus hæc operatio fieri debet, partium, ex Anatome probe calleat. *Collum quandoque ad latus quoddam incurvari ſcimus:* idque oriri quandoque vel a muſculo maſtoideo ſe contrahente, vel

a) Comp. Anat. edit. III, p. 287. Conf. & NVCKII Sialographia cap. III. p. 64.

vel a ligamento quodam morboso. Vtraque vero caussa dissectionem prædicti musculi aut ligamenti requirit, quibus venæ iugulares subiacent: quorum si situm non novit Chirurgus, quomodo operationem peragere poterit? *Paracentesis thoracis* feliciter peragenda exactam admodum requirit situs diaphragmatis cognitionem, quod a parte anteriori seu sterno oblique descendit & lumborum vertebris annectitur: ita ut ratione huius situs aperturam inter tertiam & quartam costam ab infima numeranda facere necesse sit. Si enim depressius scalpellum immittamus, facile læditur diaphragma, præcipue in dextro latere, ubi hepar diaphragma sursum premit. Sed hæc diaphragmatis cognitio feliciter perficiendo huic operi nondum sufficit: aliae enim adhuc adsunt partes magis subtiles, quas nosse omnino debet Chirurgus. Vasa enim intercostalia, quæ in sulco inferioris labri costarum aliquo modo latent, ab anatomes imperitis facile læduntur. Scientia vero situs horum vasorum docuit peritos, scalpellum ibi non esse adigendum; verum iuxta labrum superius, ut omnis inde metuenda hæmorrhagia declinetur. Eadem hæc *paracentesis in abdomine* quandoque instituitur in hydrope ascite: quæ vasorum epigastricorum, imo lineæ albæ sibi vindicat cognitionem. In *vulneribus abdominis* dum per vulnus exeunt intestina, hæc flatu quandoque ita sunt distenta, ut reponi nequeant. Adeoque post frustra adhibita leniora remedia, vulneris dilatationem requirunt; quæ vero ita est instituenda, ne linea alba aut vasa epigastrica lædantur.

In omnibus præterea omnium partium corporis humani vulneribus dilatandis, ulceribus aut fistulis aperiendis, tumoribus excindendis, in universum summe necessarium est, nosse *musculorum ac tendinum tractum, situmque vasorum insigniorum sanguiferorum*, ne his incisis, hæmorrhagias periculosas aut lethales excitemus, aut tendinibus vel musculis dissectis ægros claudos reddamus: quorum vasorum etiam, præsertim arteriarum, situs probe sciendus in *hæmorrhagiis periculosis vulnerum*, brachiorum præcipue & pedum, sistendis, itemque in *anevrismatibus*, iisdem in partibus oriundis, recte sanandis; sine quarum notitia hi morbi sanari sæpe non possunt, multique vulnerati ob earum ignorantiam pereunt. Quod item dictum sit de *nervis maioribus:* his enim læsis vel discissis, non tantummodo atrocissimi oriuntur dolores, verum pars etiam insensilis atque immobilis redditur. *Sutura tendinum* quamvis difficilis & admodum molesta sit operatio, tamen quandoque eam feliciter institutam legimus; sed hæc tendinis, quem consuere tentamus, exactam cognitionem requirit. Tendo præterea, cui parti accurate inseratur, ab Anatomes subtilioris osoribus prò re nullius prorsus momenti in praxi reputatur. Attamen, qui insertionem *tendinis flexoris extremæ phalangæ digitorum* probe novit, rectius operationem paronychiæ perficiet, imperitis: qui olim putabant, incisionem in hoc morbo in anteriori digiti parte fieri tuto non posse. *Venæ sectio* inter leviissimas operationes chirurgicas refertur, quæ etiam sæpius sat feliciter a Chi-

a Chirurgorum famulis peragitur; triſtiori vero quandoque eventu, ſi ſubiacentium tendinum, nervorum atque arteriarum aut rationem non habeant, aut eadem plane ignorent: quorum tamen ſibi exactam parare notitiam omnino neceſſe eſt, ſi hanc operationem riti perficere cupit. Sed hæ res omnes, Bone Deus, quam amplam, quam laborioſam, ſubtilemque ſibi vindicant Anatomes ſcientiam! qua tamen ſuperſedere absque periculo ægrotantium & conſcientiæ noſtræ ſtigmate minime poſſumus: ut mirari omnino ſubeat, qui inveniri adhuc poſſint homines, & præſertim adhuc inter eos, qui alios Medicinam docere ſuſcipiunt, aut Profeſſores Medicinæ haberi volunt, qui tam clara luce, apertis ſimul oculis, tam craſſe cæcutire poſſint, ut Anatomen ſubtilem non tantum nullius momenti reputent, ſed Pedantiſmo etiam, ſi diis placet, annumerent.

XXVI.

Tandem etiam Anatome ſubtilis in *Philoſophia*, *Phyſica* atque *Theologia* uſum habet quam maximum. Vti enim recte PLINIVS ait, *naturam in minimis eſſe maximam*; ita ſummo iure hic dicere puſſumus, *Deum in minimis eſſe maximum*: hoc eſt, nusquam Potentiam & Sapientiam Divini Numinis melius cognoſci, quam ex minimis atque ſubtiliſſimis noſtri corporis partibus. Maiores enim partes homines cera aliisque artificiis ita repræſentare poſſunt, ut naturalibus ſint longe ſimillimæ. Qui vero interiorem ac ſubtiliſſi-

mam partium, v. g. viscerum, fabricam fingere potuisset, hactenus deprehensus est nemo. Itaque ex subtili anatome cognoscimus demum intimius mirabilem corporis nostri aliorumque animalium fabricam, ut sapienter de iis differere, cogitare, iudicare, sive philosophari queamus. Profecto enim nihil magis prudentem hominem delectare credo, quam sapientissimum illud, γνῶθι σεαυτὸν, NOSCE TE IPSVM, nihilque magis iuvenibus discere convenit, si ad veram castamque sapientiam, eos, ut decet, ducere velimus. Quodsi enim laudem merentur ii, qui nullum non laborem atque industriam impendunt, ut exactam sibi acquirant regionum exterarum, rerumque peregrinarum & extra nos positarum, tam cœlestium, quam terrestrium notitiam; multo magis approbandum erit illorum studium atque conatus, qui corpus humanum, adeoque *se ipsos*, ex anatome discere atque nosse student. Nam cum homo sit omnium hoc in orbe terrarum rerum creaturarum pulcherrima atque perfectissima, opusque Supremi Conditoris absolutissimum, dedecori sane erit omnibus liberalium artium atque scientiarum amatoribus foris tantum sapere velle, cœlestes & subterraneas res prosequi, omnium nationum res gestas, mores, ritus, linguas, aliaque huius generis perscrutari, atque acute de iis differere velle, se vero suumque corpus non cognoscere aut ignorare: cum potius vera sapientia atque optima Philosophia a se ipso incipere debeat; deinde vero post sui cognitionem, cum physicam

Digitized by Google

cam, tum moralem, ad alias quoque ſcientias progredi decet, ut tanto quilibet melior fiat Philoſophus. Quoniam vero, iudice HIPPOCRATE, ſapientiſſimo Medicinæ parente, ὁ ἰατρὸς φιλοσοφὸς ἰσόθεος, Medicus philoſophus Deo ſimilis eſt, iudicent, quæſo, viri ſapientes, cuinam illi ſimiles ſint, ſi contrarium de iis prædicari licet, qui Philoſophiam adeo contemnunt, eam Medico inutilem, imo noxiam eſſe clamant: & quam male hi conſulant Medicis iunioribus, dum ſine hac nullo firmo, certove fundamento curationes ſuas ſuperſtruere; verum ſine Anatomes ſufficienti cognitione non niſi empirici evadere poſſunt, homines Reipublicæ generique humano quam pernicioſſimi. Præterea quilibet Philoſophus ſive ſapiens homo, ex corporis humani ſubtiliori conſideratione, quando ſerio perpendit, ex quam exiguis ac teneris partibus eius viſcera & tota machina conſtent, ex tot nimirum ſtupendæ ſubtilitatis fibris, vaſis, nervis, membranulis &c. diſcit, quam fragile ſit noſtrum corpus, quamque facile in tenerrima hacce machina aliquid lædi aut corrumpi queat: hinc a crapula, exceſſu in cibo ac potu, aliisque pravis vivendi rationibus, quæ corpus noſtrum male afficiunt aut deſtruunt, tanto melius ſibi cavere atque proſpicere diſcit, ut valetudinem ſuam rectius conſervet. Ita & qui ex Anatome noſtrum exiguum vilemque conſiderat ortum, qui, quomodo primum inter veſicam & inteſtinum rectum, id eſt, inter ſtercus & urinam, no-

ſtrum formetur & accreſcat corpus, cognovit, quique poſtmodum ex ſectionibus perſpicit, quod ex eodem luto conflatum ſit Principis & ruſtici, Crœſi & Iri, Oedipi & Davi corpus; qui, inquam, hæc bene diiudicat, is non tam temere aut tam ruditer corpus ſuum, quod artificioſiſſima machina eſt, abuſu ſex ita dictarum rerum non naturalium, ſive diæta perverſiſſima afficiet, aut data quaſi opera lædet, ſive deſtruet: neque dum ad ortum, fragilitatemque ſuam probe reſpicit, tam elato erit animo, eumque neque nativitatis præſtantia neque divitiæ, neque maxima ſcientia & eruditio inflare poterunt. Denique etiam *ex ſumme admiranda ſubtiliſſima & ſtupenda noſtri corporis fabrica omnipotentiam & infinitam conditoris noſtri ſapientiam* quam optime cognoſcere & contra atheos firmiſſimis argumentis demonſtrare poſſumus: quemadmodum Cl. PRÆSES multis, iisque illuſtribus ſpeciminibus, variis in programmatibus anatomicis, itemque STVRMIVS ex *Oculo*, SCHMIDIVS de *Aure*, HAMBERGERVS ex *Corde*, aliique ex aliis partibus ita evicerunt, ut nimiæ vitandæ prolixitatis cauſſa nihil amplius, etiamſi hoc facile poſſemus, his ſuperaddere velimus. Qui uſus ſive utilitates anatomes ſubtilioris profecto tam magnæ ſunt, ut maiores a nullo pro anatomes ſubtilioris præſtantia aſſerenda deſiderari queant: quibus omnes ſapientes, ſive Philoſophi, itemque omnes Theologi ac ICti, inprimis vero Medici, imo ipſi oſores, contemtores & cavillatores anatomes ſubti-

ſubtilioris, præſertim ii, qui pietatis affectu in eam invehuntur, ſi re vera pii magis eſſe, quam videri volunt, ad ſubtilem excolendam anatomen perſuaderi, imo trahi, deberent: ut potentiam ac Maieſtatem Divinam ex certiſſimis hiſce fundamentis tanto melius agnoſcant, atque hoc ipſo ad conditoris ſui, qui in minimis corporis noſtri maxime miranda præſtitit, amorem ac venerationem ducantur atque impellantur. Si igitur & Cel. THOMASIVS præſtantiſſimas hac in diſſertatione relatas atque probatas anatomes ſubtilioris utilitates, cum *theologicas*, tum *iuridicas*, *medicas* atque *philoſophicas*, ſerio conſiderabit, vix credo, ipſum inpoſterum adhuc ſubtilitates Anatomicas, quemadmodum cum aliis revera inutilibus quibusdam ſubtilitatibus olim fecit a) damnaturum, imo & ipſis Medicis inutiles pronunciaturum eſſe. Quamvis enim celeberrimum Medicum, STAHLIVM ſcilicet, teſtem ad illud probandum advocet, (licet in loco, quem citat, nihil de hac re inveniam) tamen non ſolum ſupra iam pag. 24. 42. 69. probavimus, Cl. STAHLIVM revera Anatomen ſubtilem non promiſcue contemnere aut reiicere; verum eius utilitatem multis adhuc aliis in ſcriptis, in morbis venæ portæ, fiſtula lacrymali, b) tota chirurgia, vulneribusque lethalibus rite cognoſcendis ac diiudicandis re ipſa agnoviſſe, commen-

a) In cautelis circa præcognita iurisprudentiæ cap. XVIII, 20. p. 294.
b) Vid. eius programm. de fiſtul. lacrymal.

Digitized by Google

daſſe, eaque in Medicina practica emendanda feliciter uſum eſſe. Vnde apparet, STAHLIVM non uſum, ſed tantum abuſum ſubtilioris Anatomes damnaſſe; quando quis ex. gr. nimis diu in ſubtiliſſimarum fibrarum reſolutione ſe detineret, aliaque bono Medico ſcitu neceſſaria hoc ipſo negligeret: qua in re nos etiam ſano ſenſu conſentientes habet. Attamen propter ſcientiæ, artis aut rei cuiusdam abuſum, non mox omnem eumque verum reiiciendum eſſe uſum cenſeo. Quilibet enim ſapiens, & cui ex meliore luto finxit præcordia Titan, quavis in re abuſum probe cognoſcere & a vero uſu diſtinguere debet: quod, qui recte facit, illum laborum ſuorum felix exoptatusque manebit

FINIS.

Thom. BROWNE Relig. Medic. Part. I. ſect. 43.
Qui ſe ipſos extrinſecus tantum contemplantur, propriam vitæ appendicem valetudinem credunt, & corporis ſui conſtitutioni ſuccenſent, ſi quando ægrotent: mihi vero, cui corporis noſtri partes exploraſſe contigit, & ſcire quam tenuibus filamentis hæc fabrica cohæreant, non ſemper potius ægrotare nos mirum videtur.

ERRATA.

Pag. 9. lin. penult. in notis pro *fait*, leg. ſait.
pag. 16. lin. 13. l. calumniantur.
pag. 17. lin. 13. pro *parvis*, l. pravis.
pag. 38. lin. penult. pro *loge*, l. longe.
pag. 45. lin. 14. pro *pamata*, l. pathemata.
ibid. lin. 16. l. *itemque* aſthma.
ibid. lin. 24. l. inflammationum.
pag. 63. lin. 1. leg. quod ii, credo.
pag. 67. lin. 20. pro periculoſa leg. periculoſo.

Digitized by Google

Digitized by Google